Τῆς ἄλης scribo, unde *verbum* Ἀλάω.

Τηΰσίην . . Hemistichion Homeri subsequens sic scribo —— Σὺ δὲ τηΰσίην ὁδὸν ἔλθῃς ex *Odyss.* Γ 315

Τιθαιβώσσεσιν.. Odyss. N 105. ex cujus loci Scholiis apparet, paullo ante in Τιθαιβώσσειν recte pro βάσιν Eruditos reponi jussisse βόσιν.

Τίθησθα . . Odyss. I 404. & alibi.

Τιθηνός . . Mox τημελῶν est idem, quod *curans*, *fovens* &c. Vide supra in Τημελητὴς & Τημελίσαι.

Τίκτειν . . Corrupta Homerica sic scribo ex Il. Φ 189

Τίκτε μ' ἀνὴρ πολλοῖσιν ἀνάσσων Μυρμιδόνεσσι

Τίνυνται . . Il. Τ 260. ac saepius.

Τίπτε δέ σε &c. . . Scribo Τίπτε δέ σε χρεώ; uti supra ex Il. K 85. notavi.

Τίς δ' ἄν τοι; τίς δή σοι; scribo. Explicatur Il. Α 540. ubi vide Schol.

Τιταίνειν frequens Homero. Adde Hesiod. Θεογ. 209

Τιτύσκετο . . Il. N 23. ac saepius: Tum scribo mox apud Hesych. ἡτοιμάζετο

Τλῆτε . . Il. B 299

Τλητῶν . . Ω 49

Τμάγεν . . B 374

Τμήδην . . H 262. Mox ex hoc Homeri loco scribo apud Hesych.

Τμήδην δ' αὐχέν' ἐπῆλθε —— & in prioribus Hesychianis ἀποκεχωρισμένως

Τὸ, τὸ ἄρθρον &c. . . Illud Τὸ μὲν ἥμισυ οἰνοπέδοιο exstat Il. I 575. Deinceps hic alterum Homericum scribo.

—— τὸ μὲν ὄποτε φύλλα καὶ ὄζους

Φύσει —— ex Il. A 234

Τὸ δ' ἱκάνεις . . Il. Ξ 298. id quod Scholiasta ibi paullo aliter, quam hic facit Hesychius, exponit: Sed utriusque est commoda explicatio.

Τοκάδερ, ἔγκυος . . Vide Cl. Alberti *Peric. Crit.* pag. 98

Τολέσπευσεν . . Haud dubie recte reponit Salmasius verbum Homero frequens, & infra apud Hesych. aliquoties repetitum.

Τόμεροι . . Scribo mox οἰωνοσκόποι

Τὸν ὀπισθότατον scribo.

Τό νυ γὰρ κατεάξαμεν. . Il. N 257

Τοξότα λωβητὴρ, διὰ τόξων &c. sic divido. Duae priores voces sunt Il. Λ 385

Τόξȣ πῆχυν . . Il. Λ 375

Τόσσα μέμηλε . . B 25. & alibi.

Τὸ παρὸν εὖ τίθεσο . . Hac formula utitur Lucianus in *Necyom.* pag. 318. *edit. Salmur.*

Τοπηία : . Callim. *in Delum* 315

Τόργος . . Idem in *Fragm. Bentl.* num. 204

Τορνώσαι . . Il. Ψ 255. & alibi.

Τότε μοι χάνοι &c. . . Δ 182

Τȣ̃ δὴ πολλοὶ &c. . . Scribo ex Il. Δ 77

Τȣ̃ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται

Τȣ̃ μὲν φθινοντος &c. . . Repono ex Odyss. Ξ 162

Τȣ̃ μὲν φθίνοντος μηνός, τȣ̃ δ' ἱσταμένοιο·

Tum mox apud Hesych. pro τὴν μῆνα scribo τὸν μῆνα

Τραπεζῆες. . Il. Ψ 173. ac saepius.

Τραπένον πάλιν . . An Τραπηδὸν, πάλιν scribendum?

Τραπέωσι . . Odyss. H 125

Τράφεν . . Il. A 251. ac saepius.

Τραφερὴν . . Ξ 308. & alibi.

Τρεσάντων . . Potius Τρεσσάντων ex Il. Ξ 522. Tum paullo post scribo καὶ Τρέσσαντες ὁμοίως· Id est, *item vox* Τρέσσαντες *iisdem, quibus* Τρεσσάντων, *occurrit notionibus*, uti saepe in hoc Lexico bre-

breviter de cognatis vocibus eamdem significationem habentibus, ac mox in Τρέφειν
Τρητοῖο λίθοιο . . Odyſſ. N 77
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσιν . . Il. Γ 448
Τριγλήνας . . Il. Ξ 183. Odyſſ. Σ 297
Τριγλώχινι . . . E 393. Λ 507. Callim. *in Delum* 31
Τριήραρχος . . Mox ſcribo πλοίων
Τρίλλιστος . . Il. Θ 488. Callim. *in Cerer.* 139
Τριόπιος . . Mox περὶ τράχηλον ſcribo pro περιτραχήλιον
Τριπλῆ τετραπλῆ τε . . Il. A 128. ex cujus loci Scholiis ſcribo hic apud Heſych. τετραπλασίονα pro τετραπλάσια· quamquam & hoc valet.
Τρίπολον . . Il. Σ 542. & alibi. adde Heſiod. Θεογ. 971
Τρίπος . . Il. X 164
Τρίπτης . . Callim. in *Fragm. Bentl.* num. 151
Τρίπτυχος . . Il. Λ 353
Τριστοιχεὶ . . . K 473
Τρίστοιχοι . . M 91. Heſiod. Θεογ. 727
Τριτογενὴς . . Pro τῷ περὶ mox ſcribo τῷ περὶ
Τριτοκούρη . . Mox ſcribo συντετέλεσται
Τριτω Νίκανδρος &c. ſic jungo, & poſtea ſcribo Ἀθαμᾶνας
Τριχάϊκες . . Odyſſ. T 177. ex cujus loci Scholiis recte hic emendarunt Eruditi, repoſito ἀπὸ Εὐβοίας
Τρόπις frequens Hom.
Τροποὶ, οἱ ἱμάντες &c. . . Ob oculos hic videtur Heſychius habuiſſe *Odyſſ.* Δ 782. vel Θ 53
Τρόφι . . Pro πολλόν τε, τρόφι κῦμα ſcribo ex Il. Λ 307

Πολλὸν δὲ τρόφι κῦμα κυλίνδεται ——

Τροφόεντα . . Il. O 621. & alibi.
Τρύφος, κλάσμα . . Habet & Hom. *Odyſſ.* Δ 507
Τρωϊοὶ ἵπποι . . Il. E 222

Υ

Υετὶς . . Schol. Theocriti pag. 80
Υεῦς &c. . . Vide Euftath. ad Il. pag. 442. lin. 5
Υλάει . . Odyff. Υ 15
Υλακόμωροι . . Ξ 29. Π 4. Mox apud Hefych. fcribo μεμωρημένοι ex Schol. Hom. ad *Odyff.* Ξ 29
Υλλω ἰχθυόεντι . . Il. Υ 392
Υμα . . . Odyff. Α 375. Β 140
Υμηπολείτω . . An Υμνοπολείτω fcribendum?
Υοσκυαμεῖς fcribo.
Υπαὶ δ' ἴδεσκεν fcribo ex Il. Γ 217
—— δείσας . . Il. Κ 376
Υπαλευάμενος . . Odyff. Ο 275. Hefiod. Εργ. 557
Υπαὶ πόδα . . Il. Β 824
Υπαλύξαι . . . Μ 327
Υπ' ἀνθερεῶνος . . Α 501
Υπαρ . . Odyff. Τ 547. & alibi.
Υπαρνος . . Callim. *in Apoll.* 53
Υπάσχει . . Scribo Υπάρχει
Υπαρχθεῖσαν, προγεγονυῖαν fcribo.
Υπασπίδια προποδίζων . . Il. Ν 158
Υπαὶε κρειόντων . . Θ 31. & alibi.
Υπατον μήστωρα . . Recte nil mutat Cl. Alberti *Peric. Crit.* pag. 98
Υπέασι . . Il. Ι 204. ex cujus loci Scholiis lego hic apud Hefych. ὑπεληλύθασιν
Υπεθολώσθην . . Scribo Υπεθολώθη· Tum cum Υπεθόλησεν, quod dicitur idem notare atque Υπεθολώσθη, novum inchoo *Artic.*
Υπείκειται . . Scribo Υπείκεται
Υπεὶρ ἅλα . . Il. Ψ 227
Υπ' ἐκδιὸς αἶσαν . . Scribo Υπὲρ Διὸς αἶσαν ex Il. Ρ 321. ac mox ἐκ Διὸς εἱμαρμένον pro ἐκδιὸς ἡμαρτημένον
Υπεκπροθέων . . Odyff. Θ 125

Υπέμ-

Υπέμβρυον . . Scribo Υπ᾽ ἔμβρυον ἧκε ex *Odyss.* I 244. nam vocem ἧκε (sive potius *compositum* ὑφῆκε, hic per poëticam tmesin diffissum) quae ex textura Hesychiana excidit, explicat Hesychius voce ὑπέβαλεν.

Υπεμνήμυκε . . Il. Χ 491

Υπένερθεν frequens Homero. Adde Hesiod. in *Clypeo* 410

Υπεξαλεάσθαι . . Il. Ο 180

Υπέραι . . Odyss. Ε 260

Υπεραεῖ . . Scribo Υπεραέϊ ex Il. Λ 297

Υπείραλα . . Jam supra habuimus Υπεὶρ ἅλα suo ordine propositum, & recte explicatum. Forte sub hac corrupta voce ὑπείραλα latet hic quid, cui explicatio, quae hic addita est, melius respondeat. An Υπεὶρ ἅλις, sive Υπὲρ ἅλις scribendum? uti Latine dicitur *supra quam satis* est: ac sic belle quadret istud ὑπὲρ τὸ δέον, quod hic legitur pro interpretatione.

Υπέρβιον frequens Hom.

Υπερδεᾶ . . Ex duobus hisce Articulis facio unum scriboque

> Υπερδέα, ὑπεραγόντως ἐνδεῆ, ἢ ἐλάσσονα κατὰ δύναμιν· Υπερδέα δῆμον ἔχοντα. Scilicet tria haec ultima verba sunt Homeri ex Il. Ρ 330. ac pro exemplo & illustratione priorum sunt adjecta.

Υπέρεπτε . . Il. Φ 271. sed alio, quam quem hic applicat Hesychius, significatu.

Υπερέσχεθε γαίης scribo ex Il. Λ 734

Υπερήνωρ frequens Homero. Adde Hesiod. Θεογ. 995

Υπαὶ ῥιπῆς . . Il. Μ 462

Υπερήσει . . Odyss. Θ 198

Υπερθορέοντα . . Il. Θ 179. & alibi.

Υπερθύριον . . Odyss. Η 90. Hesiod. in *Clypeo* 271

Υπερκαταβαπ]ύσαν . . Scribo Υπερκαταπ]ύσαν
Υπερκύδαν]ας . . Il. Δ 66, 71
Υπερμενεϊ ſcribo ex Il. B 116. ac ſaepius. Habet hoc verbi & Heſiodus in *Clypeo* 413
Υπερμένεον . . Valet Eruditorum correctio, reponentium Υπερμενέον]α, quod verbum habet Hom. *Odyſſ.* T 62
Υπέρμορα . . Il. B 155
Υπερηπλίαις . , A 205
Υπεροπλίσσαιτο . . Sic recte correctum. Exſtat *Odyſſ.* P 268
Υπέροπλον . . Il. O 185. & alibi. Heſiod. Θεογ. 516
Υπερτερίη . . Odyſſ. Z 70
Υπὲρ τῶν νεῶν . . Mox pro ἄνω ſcribo ναῶν
Υπερφίαλος frequens Hom.
Υπερώησαν . . Il. Θ 122. & alibi. Haec igitur Homeri iſtic lectio firmatur Heſychio.
Υπεσοναχίζετο γαῖα . . Il. B 781, 784
Υπεσπληνισμένον, ὑπωπιασμένον } ſcribo.
Υπηλλαξεν, ὑπεχώρει }
Υπ' ἠοίη . . Scribo Υπηοίη ex *Odyſſ.* P 25. Mox apud Heſychium ſcribo πρὸ τῆς ἕω
Υπεὶρ ἅλα . . Il. Ψ 227
Υποβλήδην . . A 292
Υπόβρυχα . . Odyſſ. E 319
Υπὸ γαμφηλῇσι . . Il. Π 489
Υποδμῶς . . Odyſſ. Δ 386
Υπόδρα ἰδὼν . . Il. A 148. ac ſaepius.
Υποδρήσσωσιν . . Ab hoc verbo dicti ſunt ὑποδρηστῆρες Odyſſ. O 329
Υποθημοσύνη . . Il. O 412. & alibi.
Υποκόλπιον τοῦ χοροῦ . . Sic junctim ſcribo. Vox ὑποκόλπιον exſtat apud Callim. *in Delum* 86
Υποριζόμενος . . Scribo Υποκοριζόμενος.
Υπὸ κρασὶν . . Il. K 152
Υπὸ κράτεσφι . . 156
Υπόκυκλον . . Odyſſ. Δ 131

Υπολαμπτείρα, Εκάτη ἐν Μιλήτῳ scribo.
Υπολίζονες . . Il. Σ 519
Υπὸ μηνιθμὸν . . Π 202
Υπονηίῳ. . Odyss. Α 186. Γ 81
Υποπερκάζουσι . . Η 126
Υπὸ πραπίδων scribo ex Il. Ν 412
- - ῥιπῆς . . Scribo, uti supra plus semel, Υπαὶ ῥιπῆς, nec usquam aliter Homerus.
- - σκήπτρῳ . . . Il. Ζ 159. Tum mox ὑπὸ τῇ βασιλείᾳ scribo.
Υποσσείουσι scribo ex Odyss. Ι 385
Υποσαχύατο . . Haec ergo est sive vera, sive aetatis Hesychianae lectio *Odyss.* Υ 212
Υποτέτροπεν, ὑπέστροφεν scribo.
Υπότροπον . . Il. Ζ 501. ac saepius: sed quia in editione Schrevel. *versus* 367. appositus est vitiosissime, pono correctius

Ου γάρ τ' οἶδ', ἢ ἔτι σφιν ὑπότροπος ἵξομαι αὖτις

Υπότροπος, ἐξ ὑποστροφῆς scribo.
Υποφῆται . . Il. Π 235
Υποφθαμένη . . Odyss. Ο 171
Υπώπια . . Il. Μ 463
Υπώρεια . . . Υ 218
Υπωρόφιον . . . Ι 636
Υρράδιος . . Callim. *Epigr.* 1
Υσμίνη frequens Homero. Adde Hesiod. in *Clypeo* 178
Υστριξ . . Callim. *in Dian.* 96
Υφέλκετο scribo.
Υφιεὶς, ὑπενδὺς . . Sic mox Υφειμένος, ἐνδεδομένος· item Υφεσις, ὑπένδοσις, & Υφιέμενον, ἐνδιδόμενον . . Υφειμένως, ἐνδεδομένως. Ergo in proposito *Articulo* τὸ, ὑπενδὺς, non est sollicitandum.
Υφηνίοχος . . Il. Ζ 19
Υφόω . . Odyss. Η 105

Υψη-

Τψηρεφὲς . . Scribo Τψερεφὲς ex Il. Τ 333. ac saepius. Adde mox ad Τψιρεφὲς
Τψηχέες ἵπποι . . Il. Ε 772
Τψιδ' ἐπ' &c. . . Vide Cl. Alberti *Peric. Crit.* p. 98
Τψίζυγος frequens Homero. Adde Hesiod. Εργ. 18
Τψίκομος frequens Homero . . . in *Clypeo* 376
Τψιμέδων . . Hesiodus Θεογ. 529
Τψιπέτηλον . . Odyss. Δ 458. } & alibi.
Τψιπέτης . . Il. Ν 822. } & alibi.
Τψίπυλον . . . . Ζ 416. } & alibi.
Τψιρεφὲς . . Odyss. Ν 5. Verum Il. Τ 333. legitur ὑψερεφὲς, & Ε 213. ὑψερεφὴς
Τψίροφον . . Scribo Τψόροφον, frequens Hom.

Φ

Φάανθεν . . Il. Α 200
Φαάνθη . . Ρ. 650
Φαάντερον . . Hinc Φαάντατος Odyss. Ν 93
Φάεα . . Odyss. Π 15
Φαεσίμβροτος . . Il. Ω 785. Hesiod. Θεογ. 958.
Φαῖμεν . . . . Β 81. & alibi.
Φαλαγγηδὸν . . . . Ο 360
Φάλαρα . . . . Π 106
Φάλαρος . . Schol. Theocriti pag. 59
Φαληριόωντα . . Il. Ν 799. Adde Schol. Theocr. pag. 59
Φάλαγγι . . Il. Ν 791
Φάν . . . . Ζ 108. ac saepius. Tum mox apud Hesych. post ὑπέλαβον sublato commate retineo λέγειν.
Φαὸς ἠελίοιο . . Il. Ψ 154
Φάραγξι, κοιλάσι . . Vide Schol. Apollonii p. 85
Φάρη a Φάρος, Homero freq.
Φαρμάσσων . . Odyss. Ι 393
Φαρῦν . . Callim. in *Fragm. Bentl.* num. 183

Φάγγανον frequens Hom.
Φασσοφόνῳ . . Il. Ο 238
Φάτις . . Odyss. Ψ 362. & alibi.
Φοβεῖ . . Ego vero non hoc φοβεῖ, sed mox φεύγει vitiatum puto scribendumque φυγαδεύει
Φειά . . Memoratur haec urbs & Il. Η 135. dicitur que ab Scholiaste urbs esse Elidis.
Φέρβειν . . Hesiodus Εργ. 377
Φερέοικος . . Idem *ibid.* 571
Φερέσβιος . . Idem Θεογ. 693
Φέρεσκον . . Odyss. Κ 108
Φέριστε . . . Il. Ζ 123. ac saepius.
Φέρτατος frequens Homero. Adde Hesiod. Θεογ. 49
Φήγινος . . Il. Ε 888
Φηλήτησι . . Hesiodus Εργ. 375
Φήνωσι . . Odyss. Ο 26
Φθάν . . Il. Α 51
Φθειρῶν . . Pro πίτυσι scribo hic πίτυς
Φθήσονται . . Il. Ψ 444. Itaque haec istius loci lectio firmatur: & jam supra Hesychius, nescio unde, Φθεῖ habet, atque interpretatur θνήσκει
Φθῇ . . Il. Α 451. & alibi.
Φθήσεται . . A voce Φθάνη novum inchoo *Artic.*
Φθισήνορα . . Il. Β 833. ac saepius. Tum sic firmatur vulgata hic Homeri lectio: Sed quum hoc ipsum φθισήνορα quinquies, nec ultra, occurrat apud Homerum, ac semper in *accusativo singulari masculino* junctumque cum πόλεμον, qui factum esse dicemus, Lector, quod Hesychius hanc vocem quasi in *nominativo feminino singulari* & cepit & explicuit? Habet & Hesiodus Θεογ. 431. φθισήνορα, sed in *masculino.*
Φθῖσθαι . . Il. Ι 246. & alibi.
Φθισίμβροτος scribo ex Il. Ν 339. Odyss. Χ 297
Φιαρόν . . Schol. Theocriti pag. 102
Φειδωλὸς, ἐπιθυμητικὸς scribo.

Φίλαι, φίλησον . . Hoc fenfu formaque *grammaticali* (in *aor.* primo *med.*) bis τὸ, φίλαι, habet Homerus (Il. E 117. K 280.) dummodo in utroque iftoc Homeri loco pro vulgato φίλε hac Hefychiana lectióne, quam & manu exaratis libris firmari ait Scholiaftes ad Il. K 280. recepta reftitutaque legas φίλαι, id eft, Hefychio & Scholiafte exponentibus, φίλησον,

—— Νῦν αὖτ' ἐμὲ φίλαι Ἀθήνη

—— Νῦν αὖτε μάλιστά με φίλαι Ἀθήνη

Nimirum fcribarum quis pro αι temere fcripferit ε (quia fere eadem τε, αι & ε, Veterum fuit pronunciatio, unde quamplurima in hoc ipfum Lexicon irrepfere vitia: Vide *Praefationem* noftram Artic. 6.) atque inde hoc vitii & in alia exemplaria Graeca, ad quae editiones typicae formatae funt, devenerit. Forte tamen dixerit quis, τὸ, φίλε, etiam vel *grammatice* valere pro *Imperativo activo* ab eodem *verbo* φίλω· fed qui aures Homero adfuetas habet, τὸ, φίλε, iftic non praetulerit.

Φίλατο . . Il. Υ 304. ab eodem *verbo* φίλω, unde φίλαι.

Φιλέσκον . . Scribo Φιλέεσκεν ex Il. Γ 388. ac faepius: atque ita refpondet Hefychiana interpretatio.

Φιλεόντων . . Odyff. Ω 484

Φίληθεν . . . Il. Β 668. atque ita firmatur ifta Homeri lectio.

Φιλήρετμος frequens Hom.

Φιλιάζετο &c. . . Pro ἐχωρίσθη Munkerus ad Antonin. Lib. pag. 51. legit hic ἠράσθη

Φιλίων, αἰὲν τε φίλτερος &c. . . Mox in verfu Homerico hic apud Hefych. fcribo Φιλίων pro φίλιον. Palmerius, caeteroquin optime de Hefychio ob perfpicaces conjecturas certas-

que saepe emendationes meritus, injuria hic accusat Hesychium. Ipse ille Palmerius, genere atque eruditione nobilis, graviter hic fallitur, nec verum hic Homeri sensum, quem nec Latini ceperunt interpretes, intellexit. Ita autem legitur *Odyss.* T 350

Ξεῖνε φίλ', ὐ γάρ πώ τις ἀνὴρ πεπνυμένος ὧδε
Ξείνων τηλεδαπῶν φιλίων ἐμὸν ἵκετο δῶμα.

Odyss. Ω 272

—— ὐ πώ τις βροτὸς ἄλλος
Ξείνων τηλεδαπῶν φιλίων ἐμὸν ἵκετο δῶμα.

Si hic, certe in secundo loco, φιλίων referas ad ξείνων, omnem sanum sensum sustuleris: sed pertinet φιλίων utrobique ad τις hoc sensu, *Nullus hospitum mihi amicior divertit umquam ad me.* Adeo igitur non culpandus hic est Hesychius, ut vera utriusque hujus loci Homerici & explicatio & mens ipsi uni debeatur. Taceo, τὸ, φίλιος, pro φίλος esse inauditum; quamquam φίλιος pro cognomine tribuatur Jovi, verum alio sensu.

Φίλοιφος . . Schol. Theocriti pag. 49. exponit φιλοσυνουσιασὸς, ab οἴφειν, συνουσιάζειν· Quid vero Hesychii interpretatio [πασχητὴς] sibi velit, nescio.

Φιλοκέρτομε . . Odyss. X 287

Φιλομμειδὴς scribo ex Il. Γ 424. ac saepius.

Φιλομηδιάδης . . Odyss. Δ 342. P 134. legitur φιλομηλείδης, nec aliter puto hic apud Hesych. esse scribendum.

Φιλομύθῳ . . Scribo Φίλῳ μύθῳ, πεπλασμένῳ λόγῳ

Φιλοτήσια ἔργα . . Odyss. Λ 245

Φίλως χ' ὁρόωτε . . Il. Δ 347

Φιτρὸς . . φιτρὸς saepius Homero ejusque Scholiastae idem est ac κόρμος.

Φιτύσατο . . Aeschylus pag. 19

Φλάσας

Φλάσας . . Schol. Theocriti pag. 63
Φλιὴ . . Odyss. P 221. Sed notat ibi postem januae aut simile: Verba sunt

Ος πολλῇσι φλιῇσι παραςὰς φλίψεται ὤμους

Sub ulterioribus Hesychii verbis [ἡ παραςὰς τῆς θύρας] & supra ad vocem Φλιᾶς [τῆς θύρας παραςάδ⊗] latet vel pars dictorum verborum Homeri, vel potius supinus error Hesychii, qui Homericum παραςὰς sumserit pro voce *feminina*, quum sit *masculina aoristi sec. activi* in *participio*; ita ut & ad vocem Φλιὴ, & supra ad Φλιᾶς hic nil nisi futile quid habeamus.
Φλίψεται . . Odyss. P 221. Atque ita vulgata hujus loci lectio firmatur.
Φλόγεα . . Il. E 745. & alibi.
Φλοῖσβ⊗ . . 469. ac saepius.
Φλὸξ . . Scribo hic πυρὸς pro πυρὸς
Φοιβάνοι . . Vide Schol. Apollonii p. 82
Φοῖβ⊗ pro καθαρὸς apud eumdem *ibidem*.
Φοινήεντα . . Il. M 202. & alibi.
Φοίνικι φαεινὸν . . Z 219
Φοίνικ⊗ ἔρν⊗ . . Odyss. Z 162
Φοινικόεσσα . . Il. K 133. ac saepius.
Φοίνιον &c. . . Scribo φοινὸν pro φονόν· Nempe φοίνι⊗ & φοινὸς idem notant: Alterum exstat *Odyss.* Σ 96. Alterum Il. Π 159
Φολκὸς . . Il. B 217. cujus loci Scholion emendationem Eruditorum, mox scribi jubentium ἑρβὸς, firmat.
Φονοῦ . . Il. K 521. O 633
Φοξὸς . . B 219
Φορβὴ . . E 202. A 561
Φορμώμενος . . Scribo Φορβωμένος
Φορῆες . . Il. Σ 566
Φορμίζειν . . Odyss. A 155. } & alibi.
Φορτὶς . . . . I 323. }
Φθεύνετο . . . . X 21

Φόως ἱρέεσα . . Il. B 49
Φραδέος . . . Ω 354.
Φραγμοσύνη . . Scribo Φραδμοσύνη
Φράσμων . . . . . Φράδμων ex Il. Π 638. & ipse Hesych. supra habet Φράδμονες.
Φρέατα . . . Il. Φ 197
Φρεσὶν ὁρμαίνοντα . . K 4
Φρὶξ . . . H 63. Ergo loci hujus Homérici haec lectio firmatur.
Φρίξας . . . Odyss. T 446
Φρίσσει νῶτον . . Il. N 473. ac saepius apud Hom. τὸ, φρίσσειν.
Φρόνιν . . Odyss. Γ 244. Δ 258
Φρόντις . . φρόντιν Ονητορίδην exstat Odyss. Γ 282
Φύζα . . Il. I 2. ac saepius.
Φυζακινὸς . . N 102
Φυκιόεν . . Ψ 693
Φῦκος . . I 7. Vide Schol.
Φυκτὰ . . Π 128. } ac saepius.
Φυλακτῆρες . . I 66. }
Φυλάσσειν . . Δῶμα φυλασσέμεναι exstat Odyss. H 94
Φυλίης . . Odyss. E 477
Φύλοπις frequens Hom.
Φύξηλιν . . Il. P 143
Φύξιν . . . K 311. & alibi.
Φύρσω . . Odyss. Σ 21
Φύσα, φαρέτρα &c. . . φύσα pro folle Il. Σ 372. ac saepius.
Φυσίζωος . . Il. Γ 243. ac bis alibi, atque identidem sine ω· id quod ab nasuto videtur mutatum, ac deinceps ab aliis receptum, quasi ω sequente vocali non saepius corripiatur.
Φυσιόων . . Il. Δ 227. & alibi.
Φύσκη . . Vide Schol. Hom. pag. 95
Φυταλιᾶς . . Il. Z 195
Φύτιος . . Diana φυτία apud Antoninum Lib. Fabula 17. fine.

Φῦ χειρὶ . . Il. Z 253. Sed nihil ineptius excerpi ex Hom. potuit, omisso ἐν, quod hic unice conficit sententiam: Exstat autem dicto loco
Ἐν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ ——
Φωλεὸν . . Scribo hic ἢ οὐ χορεύουσι
Φὼρ . . Vide Cl. Alberti *Peric. Crit.* pag. 98
Φωριαμὸς, κιβωτὸς, Καὶ Φωριαμῶν . . Tentavit haec idem *ibid.* Vir Clarissimus: Sed ego nihil prorsus hic muto. Duae postremae voces sunt huc stulte ex Il. Ω 228. pro exemplo ab Hesychio traductae
Η, κὴ Φωριαμῶν ἐπιθήματα καλ' ἀνέωγεν

X

Χάδεν . . Il. Λ 462
Χαλίφρονας . . Odyss. Δ 371
Χαλιφροσύνη . . Π 310
Χαλκέα . . Χαλκέ' ἐπίσσωτρα exstat Il. E 725
Χαλκεγχέων, πολεμιστῶν scribo.
Χαλκεόφωνον . . Il. E 785. Hesiod. Θεογ. 311
Χαλκοβάρεια . . Λ 96
Χαλκοβαρὴς . . O 465. & alibi.
Χαλκοβατὲς . . A 426. ac saepius.
Χαλκογλώχινος . . X 225
Χαλκοκορυστὰ . . E 699. ac saepius.
Χαλκοκνήμιδες . . H 41
Χαλκοπαρὴς scribo pro Χαλκοπαρείης ex Il. M 183, ac ter alibi.
Χαλκόποδας . . Il. Θ 41. & alibi.
Χαλκοτύπους . . T 25
Χαλκοχιτώνων frequens Hom.
Χαμαιευνάδες . . Odyss. K 243, & alibi.
Χαμεύνη . . Scribo Χαμαιεύνη ex Il. Π 235
Χανδάνειν . . Il. Ψ 742. Schol. Theocriti pag. 114
Χανδὸν . . Odyss. Φ 294

Χάνοι εὐρεῖα χθὼν . . Il. Δ 182
Χανὼν στόμα . . Π 349 & 350
Χαράδραι . . . 390. & alibi.
Χαρίσιον . . Pro ultima voce ſcribit Bentlejus ad Fragm. Callim. pag. 385. πεμμάτων .
Χάρμα } frequentia Hom..
Χάρμη }
Χαροπὸς . . Odyſſ. Λ 610. Heſiod. Θεογ. 321
Χασσάμενος . . Il. Δ 535. & alibi.
Χάσσασθαι . . M 172
Χαιτέων frequens Hom.
Χαυλιόδοντα . . Heſiodus in *Clypeo* 387
Χίμαρροι . . Scribo Χείμαρροι. Sed & Χείμαρρος exſtat apud Heſiod. Εργ. 626. alia notione.
Χειμεραὶς . . Scribo Χειμερίας ex Il. B 294
Χειροτερὴς . . . Χειρότερος . . Υ 436. & alibi.
Χειρυγεῖ . . . Χειρουργεῖ
Χέισεται . . Odyſſ. Σ 17
Χελιδόνιον, φάρμακον . . Vide Schol. Theocr. pag. 113
Χελονίδος, ὐδὸς &c. . . Munkerus ad Antonin. Lib. pag. 51. legit ὐδὲ pro ὐδὸς
Χεραίδος . . Il. Φ 319. Adde Schol.
Χερνῆτις . . M 433
Χέρνιβα frequens Hom. in *Odyſſea*.
Χερνιψάμενος . . Il. A 449
Χεῦαι . . Odyſſ. Λ 75
Χεῦμα . . Il. Ψ 561
Χηλὸς frequens Hom.
Χηραμοὶ . . Il. Φ 495
Χηρεύει . . Odyſſ. I 124
Χηρωσαὶ . . Il. E 158. Heſiod. Θεογ. 607
Χήτει ἐνευναίων ſcribo ex *Odyſſ*. Π 35
Χθιζά τε καὶ πρωΐζ' ſcribo ex Il. B 303
Χιονωθήσονται ſcribo.
Χλιδὴ . . Aeſchylus pag. 30
Χλιδὸς, σακκοπάθνιον. . Munkerus ad Antonin. Lib. pag. 51. conjicit ἀσκοπυθίνη pro σακκοπάθνιον

Χλύνης

Χλεύην . : Il. I 535. Adde Schol. & Callim. *in Dian.* 150
Χλωρὸς, πυρὸς . . Vide Euſtath. ad *Iliada* pag. 376. lin. 51
Χλωρὸν δέος . . Il. H 379. & alibi.
Χνόος . . Odyſſ. Z 226. Callim. *in Apoll.* 37
Χοαὶ . . . Λ 26
Χοάνοις . . Il. Σ 470
Χοιράδες . . Euripides in *Troade* 89
Χολάδες . . Il. Δ 526 Φ 181
Χολωσέμεν . . Α 78
Χόρια . . Schol. Theocriti pag. 92
Χοροςασία . . Callim. *in Lav. Pall.* 66
Χραισμῆσαι frequens Hom.
Χράνση . . Il. E 138
Χρείων . . Odyſſ. Θ 79
Χρεῖος, ὀφείλημα ſcribo.
Χρεμέδα . . Vide Bentl. ad Fragm. Callim. pag. 418
Χρεὼ . . Mox ſcribo τὸ pro τὸν
Χρεώμενος . . Il. Ψ 834
Χρηΐζοντα . . Λ 834. ac ſaepius.
Χρίμπτει } Verbum hoc exſtat *Odyſſ.* K 516. eo,
Χριμφθῆναι } quo Heſych. hic exponit, ſenſu; idemque verbi infra retractat Heſychius.
Χρῆς . . Vide Cl. Alberti *Peric. Crit.* pag. 99
Χροιὰ . . Il. Ξ 164
Χροϊζόμενον . . Schol. Theocriti pag. 96
Χρόμαδος . . Il. Ψ 688
Χρόμις . . B 858
Χρόνιον . . Odyſſ. P 112
Χροὸς, χρὼς, καὶ ἀπὸ χροὸς ἀπὸ τοῦ σώματος διῆλθεν . : Haud dubie nonnulla hinc exciderunt; atque illico poſt primam vocem pro explicatione τοῦ, Χροὸς, excidit σώματος· Tum deleo χρὼς. Verba ἀπὸ χροὸς ſunt ex Homero Il. Δ 130. ac ſaepius. Verba ἀπὸ τοῦ σώματος ſunt Heſychii

explicatio. Ante διῆλθεν praecessisse videntur verba Il. Λ 398. διὰ χροὸς ἦλθε, quorum Hesychiana explicatio fuerit διὰ σώματος διῆλθεν. Vel respicitur Il. N 191. unde excerpserit Hesychius χροὸς εἴσατο, quod explicuerit eodem modo, quo ibi Scholiastes, διὰ τοῦ χρωτὸς διῆλθε.

Χρωσάμενος . : Scribo Χροὸς αἰσάμενος· uti mox sequitur apud Hesychium, dummodo pro

Χρὸς ἄσαι . . scribas Χροὸς ἆσαι ex Il. Λ 573. O 317. Φ 168

Χρυσάμπυκας . . Il. E 358. ac saepius. Hesiod. Θεογ. 916

Χρυσάορον . . Il. O 256. E 509

Χρυσέον σκῆπτρον ἔχων . . Odyss. Λ 91

Χρυσήνιος . . Il. Z 205. & alibi.

Χρυσῆς Ἀφροδίτης . . Γ 64

Χρυσόῤῥαπις . . Odyss. K 277. & alibi.

Χύντο . . Il. Δ 526

Χυτὴ . . . Z 464. Ξ 114. ac saepius.

Χυτλῶσαι, τὸ ἀλεῖψαι . . Scribo Χυτλώσαιτο, ἀλείψαι· Nempe explicatur *Odyss.* Z 80

Χυτρίνδα . . Mox scribo τοιαύτης

Χωέται . . Il. Υ 29

Χλωθεὶς . . Scribo χωθεὶς



ΨΕδνὴ . : Il. B 219. & ex hoc versu descripta sunt sequentia Ψεδνὴ δ᾽ ἐπενήνοθε

Ψευδάγγελος . . Il. O 159

Ψῆρες . . . . Π 583

Ψιάδες . . 459. Schol. Theocriti p. 6

Ψιμαρὸν . . Pro ἰνδιέων Cl. Alberti in *Peric. Crit.* pag. 99. scribit ἰνδίαιον· recte: fontem hujus ac parium vitiorum aperui in *Praefat.* Art. 6

Ψοδίαν . . Vide Cl. Alberti *Misc. Crit. in Suidam* p. 294
Ψύξας . . Il. Υ 440
Ψύχιος ἱμέιρων . . Odyss. Κ 555
Ψυχρὸν δ' ἕλε &c. . . Il. Ε 75

Ω

Ω' ἄχεϊ σχομένη . . Odyss. Α 278
Ωΐγνυντο . . Il. Β 809. Θ 58
Ωκαλέον . . 501
Ωκεανοῖο πόρον, τὸν αἶρα sic divido.
Ωκύαλος . . Odyss. Θ 111. ac saepius.
Ωκυπέτα . . Il. Θ 42. & alibi.
Ωκύπτερος . . N 62
Ωκυρόω . . Ε 598. & alibi.
Ωλεσίκαρποι . . Odyss. Κ 510
Ωμογέροντα . . Il. Ψ 791
Ωμήρευσε . . Recte corrigit Cl. Alberti in *Peric. Crit.* pag. 99. scribitque Ωμήρευσε
Ωμησαὶ . . Il. Λ 454. & alibi. Hesiod. Θεογ. 300
Ωμοθετεῖν . . Odyss. Ξ 427. ac saepius in *Iliade*
Ωμοφάγας . . Mox scribo τοὺς pro τὰς
Ωμῷ γήραϊ . . Odyss. Ο 356
Ωινοχόει scribo, uti recte scribitur Il. Α 598. & alibi.
Ωνὸς . . Schol. Theocriti pag. 14
Ωπίζετο . . Odyss. Ξ 283. & alibi.
Ωρα γάμων . . Ο 126
Ωρετο . . . Il. Μ 279. & alibi.
Ωρια . . Odyss. Ι 131. Schol. Theocr. p. 78
Ωριγνώμενον . . Hesiodus in *Clypeo* 190
Ωρίνθη, ἐταράχθη scribo.
Ωρισος }
Ωρνυτο } frequentia Hom.
Ωρορεν }

Ωϱειν } Haec potius per ο μικρὸν, ut ex Hom.
Ωϱυσειν } sumta, scribo Oϱυειν & Oϱυσειν. Nec suo loco hic sunt posita.

Ωϱτο } frequentia Hom.
Ωϱσε }

Ωϱώϱει . . Il. Σ 498

Ωϱωϱέχατο . . Scribo Oϱωϱέχατο ex Il. Λ 26. ac mox ὀϱμῶντες

Ωσαι . . Il. N 688

Ω σὲ, διὰ τῦτο &c. . . Vide Cl. Alberti *Peric. Crit.* pag. 99

Ωχϱήσαντο . . Odyss. Λ 528

Pag. 996. *editionis Schrevelianae*

lin. 1 Αλλά καὶ ὡς ἐθέλω δόμεναι . . Il. A 116
. . 2 Hϱξατο δ' ὡς πϱῶτον &c. . . Odyss. Ψ 310
. . 9 Ω πόποι &c. . . Odyss. Σ 26
. . 10 Εγνως ὡς Θεός εἰμι . . Il. X 10
. . 11 Ως αἰεὶ τὸν ὁμοῖον &c. . . Odyss. P 218
. . 13 Scribo Ως σ' ἔβαλον Τϱῶες ex Il. Δ 157
Ως ἔϱις &c. . . Il. Σ 107
. . 14 Pro καὶ Διὸς scribo καὶ δι' ὃ. ; id est, Ως inter alia notare & δι' ὃ *ob quod* vel *quare* &c. idque probatur ex Il. E 204. ubi Ως Scholiastes exponit & διὰ τῦτο
. . 16 Εχθϱὸς δ' ὡς &c. Il. Z 237
. . 17 Ως δ' ἴδεν &c. . . Ξ 294
. . 19 Ως δ' ὑμεῖς &c. . . Odyss. Γ 347
. . 21 Scribo Ως τ' ἦλθ', ὡς τ' Αιγισθος &c. . Odyss. Γ 199
. . 23 Ως ὐκ αἰνότεϱον &c. . . Odyss. Λ 420
. . 24 Ως κέν τοι &c. . . Δ 389. Sed hodie vulgo legitur Oς κέν τοι. At, Lector, meo judicio nos sic habemus corruptam, Hesychius vero veram lectionem, ac rem recte explicuit, τὸ, ὡς, hic interpretatus ὡς ἂν & ἄχϱις, *donec*, uti & Virgilius bis fecit, primum in *Eclogis*,

gis, dein in *Georgicis*; in utroque scilicet loco Homerum imitatus, utique in *Georgicis*. Verus loci hujus Homerici sensus sive versio Latina sit haec, Pallas dicit Ulyssi, *Si forte tu hunc* Protea *possis per insidias comprehendere ac prensum tenere, donec tibi dixerit viam ac spatia itineris tui & reditum tuum, tunc altum petes: Sed &, o dilecte Jovi, enarret tibi* Proteus, *siquidem volueris, quidquid interim boni malique fiat factumque fuerit in aedibus tuis, dum tu domo procul vagus oberras.* Ecce Graeca Homeri

Τὸν γ᾽ εἴ πως σὺ δύναιο λοχησάμενος λελαβέσθαι,
Ὥς κέν τοι εἴπησιν ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθε,
Νόστον θ᾽, ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα·
Καὶ δέ κέ τοι εἴπησι, Διότρεφες, αἴκ᾽ ἐθέλησθα,
Ὅ, ττί τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται
Οἰχομένοιο σέθεν δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε.

Uti ergo Proteus apud Homerum tenendus erat constrictus, donec declarasset, quae quaereret Ulysses; ita in *Ecloga* sexta duo pastores religant Silenum vatem, coguntque eum dicere, quae velint. Clarius de ipso Proteo in *Georgicis* lib. 4. illic Cyrene filium suum Aristaeum, de exstinctis apibus suis querentem, jubet corripere ac vincire Protea nec solvere, nisi tandem paratum dicere, qua ratione jactura apum posset reparari &c.

Quod

Quod si vulgatam hodie lectionem Homeri hic teneamus, nihil fere de tali coactione Protei, quae tamen hic praecipue ad rem pertinet, habeamus: ac praeterea omnis istaec Palladis oratio idoneo nexu careat, uti & vulgaris versio Latina est fatua.

Lin. 26 Ως ἴδεν, ὡς ἀνέπαλτο . . Il. Υ 424. sed pro ἴδεν hodie istic legitur εἶδ'. Mihi lectio Hesychiana videtur & hic Ομηρικωτέρα, quae pulcre servata fuit & Il. Ξ 294.

Ως δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

Hanc vero loquendi formam imitatus est Virgilius in ea *Ecloga*, in qua dicit quis

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Obser-

Obſervata in ſtylo

HOMERI

Observata in ſtylo HOMERI

DUm per hoſce quinquaginta annos oblectamenti cauſa, in deambulationibus vectationibusve Homerum ſubinde voluto, identidem eximius hominis ſtylus mihi magis placet quam ante: Identidem pulcritudines ac Gratias videre mihi videor, quas ante minus videram. Tamdem ſubnotare coepi, quae meam quidem mentem adverterunt percuſſeruntque: Haec in ſchedulas conjeci, alleviqueea, quae documento mihi videntur eſſe, Homerum vel legiſſe ſacras *Veteris Teſtamenti* tabulas, quatenus illae Homeri aetate proſtabant; vel rerum in illis traditarum, potiſſimum illarum ſtyli, ignarum non fuiſſe, ut qui ſaepe ad illarum ſtylum formarit ſuum vel alluſerit. Quin & ego poſt alios nonnulla in hoc Poëtarum principe obſervavi, quae, ſi ad politos mores aut ad *decorum* referantur, nimis rudia dici poſſint atque incondita in illuſtribus, quas fingit, perſonis, item in ſermonibus & actibus, quos ipſis affingit. Denique nonnumquam Virgilianum quid, ex Homero per imitationem deſumtum, cum ſtylo Homerico comparo, &, ubi alter alterum mihi videntur ſuperare, liberè pronuncio, idque ad exemplum aliorum, qui iſtiusmodi libertatem in duobus his artis poëticae ſummis magiſtris inter ſe conferendis dijudicandisque ſibi ſumſerunt. Succedant

mihi illisque, per me licet, qui ad noſtra judicia & arbitria ἐπικρίσεις ſuas adjiciant.

Quod toties in hiſce obſervatiunculis & ipſe admiror, & aliis pro admirando propono inſigne poëſios Homericae artificium in *metro* ſive in *numeris* ac *pedibus* tam dextre ad rerum actuumque naturam accommodatis; notare hic lubet, linguam Graecam, multa vocum, ferme idem vel ſimile ſignificantium, varietate, ac *compoſitionis* facilitate, certe prae Latina lingua, divitem, etiam prae lingua Latina longe aptiorem eſſe ad ſingulas res actusque idoneo verborum flexu ita effingendos, ut, quae legas, videre, audire, ſentire videaris. Fateor; multum ac vel maximam partem huc confertur ab exactis rerum actuumque imaginibus, acri vegetaque Poëtae mente formatis ipſique obverſatis: Sed ab hiſce ipſis per verba expreſſis imaginibus plurimum abeſſet decoris ac Gratiae, niſi verba ipſa in *ſyllabis* ac vel in ſingulis propemodum literis adjuvarent. Negari nequit, vividis hiſce rerum imaginibus ſecundum Homerum prae omnibus excellere Virgilium: Sed ſaepius idem ille deficit in aptis *conſonantium* ac *vocalium* numeris. Nempe minus tenera lenisque eſt lingua Latina: Verba hic maximam partem ob duriorem plurium earumque aſperiorum *conſonantium* juncturam nimis ſunt horrida, gravia, ſevera, nec ſatis in quoque rerum ſignificandarum genere copioſa. Sane habet Virgilius ſaepe eximium quid atque illuſtre in verbis ac *numeris*, apte ad rerum actuumque naturam delectis ac diſpoſitis, quale in *Georgicis* III. 420.

—— *Cape ſaxa manu, cape robora, paſtor*

& vſ. 276.

Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles

Quisquis duo haec loca ſingula per ſe in contextu ſuo apud ipſum Virgilium probe conſideraverit,

verit, facile, opinor, mihi consentiet, haec iis concepta esse verbis, & ipsa verba eo esse ordine disposita, ut in *primo* loco & summum periculum, & summa ad amovendum omne periculum celeritas ac properatio: in *secundo* equi, per praecipitia de rupibus in subjectas rupes ruentis, atque ita mox in imam vallem desilientis, ibique se ex lapsu colligentis labor atque aestuatio quasi oculis auribusque exhibeantur. Nihil item pulcrius naturaliusque fingi potest, quam in eodem libro descriptio ludi Circensis apud Romanos a versu 103

Nonne vides, cum praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Cum spes arrectae juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: Illi instant verbere torto,
Et proni dant lora. Volat vi fervidus axis;
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per medium ferri atque assurgere in auras;
Nec mora, nec requies ———

Inimitabile est illud

——— ——— ——— *exsultantiaque haurit*
Corda pavor trepidans ———

Item istud

Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri atque assurgere in auras.

Plura in *Georgicis*, supra quam dici possit, pulcra, nunc quidem omitto. Sed & *Aenëis* eminentes habet pulcritudines; immo saepius videtur mihi vel superari Homerus, uti, exempli gratia, monebo ad *Iliados* K 45. in

——— ——— ——— *aversa Deae mens*,

idque in sola syllaba *ver* vocis *aversa*, siquidem notionem istius in hac voce *syllabae*, & manus dextrae gestum, trucemque ac distortum vultum cogites, quo haec *syllaba* in istoc quidem loco ad veram Poëtae mentem foret pronuncianda.

 Verum

Verum pro Virgilii denis in hac artificiosa styli fabrica exemplis centena habet Homerus, quippe cujus bina Poëmata, *Ilias* & *Odyssea*, singula perpetuam faciant telam, verbis, numeris, vocalibus, consonantibus, Dialectis, potissimum Ionica, res, actiones, murmura, sonores, iras, studia, impetus, planctus vicissim ac dolores, languores, suspiria, lamenta, supplicationes, nec non hilaria epulantium potantiumque, item amorum blanditiarumque conjugalium dulcedinem belle exprimentibus, contextam; atque adeo exactissimam non humanae modo, sed & aliarum rerum multarum naturae tabulam. E diverso, uti supra monui, passim nimis horrida, rigida, tetrica, nec ullis *Dialectorum* varietatibus flexibilis est lingua Latina, ut quae magna ex parte formata sit ex Dorica *Dialecto*, rustica illa & horrisona, bubulcis magis ac subulcis, quam politae tersaeque enunciationi propria. Hinc exempli gratia vox *mater*, personam tenerrimi non inter homines modo, sed vel inter bruta, affectus denotans, quam aspera & incondita est prae politiorum Graecorum μήτηρ? Scilicet Dores dixere μάτηρ: Idem cernas in voce *balatus*: Nihil minus quam agnorum oviumque teneritas fractique soni tentamina audiuntur in hac voce, contra quam fit in ordinaria voce Graeca βληχή. Haec linguae Latinae asperitas pedetentim molliri quidem mitigarique coepit, ubi commode id fieri posset, jam duobus ante Augustum saeculis; id quod liquido cernere est, si prisci Romanorum styli reliquias in columna Rostrata, in Ennii, Naevii, Pacuvii aliorumque fragmentis cum Terentio, Caesare, Cicerone, caeterisque ante Tiberii principatum scriptoribus conferas: Non potuere tamen Romani nec omnem lenire duritiem, nec satis multis verborum copiis patrium sermonem locupletare. Haec & similia magnas ac sublimes animas, qualem prae omnibus

bus Virgilium, praepedierunt, quo minus ubique ingenii sui fertilitatem redundanti aptorum vocabulorum flumine exaequarent.

Nunc protenus contemplemur Homerum, in cujus locis proponendis omissi *accentus*, quo *numerorum* ac *metri* elegantia & apta rerum actionumque imitatio, qua eximie Homerus excellit, omnibusque artem Poëticam post se tractaturis facem atque exempla praetulit, melius faciliusque sentiatur: quum caeteroquin *accentuum* observatio & omne *metrum* ac *numeros* tollat, & omne lumen Poëticum exstinguat, Poëmamque fere reddat insipidum, ridiculum, ingratum.

Ad Iliados A

Versu 5. sapienter ac graviter mala publica ad divinam Homerus refert providentiam, ubi in *Iliadis* exordio ait quidem, per Achillis iram multa mala evenisse Achivis; sed addit

—— Διὸς δ' ετελειετο βȣλη

ex Jovis consilio sic actum fuisse, nec aliud, quam quod ille voluisset, accidisse.

Versus 64. ita dispungendus

Ὁς κ' ειποι, ὁ, τι τοσσον &c.

uti recte fit vs. 85

Versu 77. videtur omnino legendum ἦ μὴν, non ἡ μέν· juratur enim; ac τὸ, ἦ μὴν, ordinaria est Graecis formula, jurijurando praefigi solita.

Versu 103. 104. ira pulcre describitur

—— μενεος δε μεγα φρενες αμφιμελαιναι
Πιμπλαντ', οσσε δε οἱ πυρι λαμπετοωντι εικτην

Dacty-

Dactylorum haec celeritas admodum naturaliter effingit agitationem hominis ira exaestuantis, crebrioremque in ira oculorum circumvolutionem.

Versu 154. in me, ait Achilles, Trojani non peccarunt; *neque enim umquam boves meas equosve abegerunt*

Ου γαρ πωποτ' εμας βους ηλασαν ουδε μεν ιππους

Eamdem loquendi sive magnae injuriae, non factae, exprimendae formulam habemus I *Samuelis* XII. 3.

Versu 178. prudenter monet Agamemnon Achillem, magnum ipsius robur deberi Deo, non ipsi

Ει μαλα καρτερος εσσι, θεος που σοι το γ' εδωκεν.

Versu 194. Quod eo momento, quo Achilles stringeret gladium percussurus Agamemnona, Pallas de coelo dicitur venisse, ac soli visa fuisse Achilli, eumque a facinore cohibuisse, intellige animum Achillis, subito considerantis, quid facinoris patraturus foret, impetumque suum sistentis. Similia saepius habet Homerus ejusque ad exemplum Virgilius cum Ovidio.

Versu 234. Quod virga Aaronis revirescens habita fuit apud Mosen pro summo divinae potentiae, vires factaque humana longe exsuperantis, argumento, ut adeo is, in cujus gratiam id miraculi ederetur, haberetur pro eo, qui divina auctoritate ageret inter homines; Hinc Asiaticis scriptoribus, quasi Homero, petita videtur esse formula, qua quid dicatur tam certo non fore, quam certum sit, non fore, ut virga decorticata, ex arbore decisa & arefacta, ultra revirescat frondescatve. Certe Achilles hic jurat per sceptrum suum, sive virgam, quam gestabat, *eaque virga*, ait, *non ultra revirescet* &c.

Nam

Ναι μα τοδε σκηπῖρον· το μεν ȣποτε φυλλα και οζȣς
Φυσει ———

Versu 260. videri possit Nestor parum verecunde, nec satis salva Majestate Agamemnonis & Achillis, ipsis in os dicere

Ηδη γαρ ποτ' εγω και αρειοσιν ηεπερ υμιν
Ανδρασιν ωμιλησα, και ȣποτε μ' οιγ' εφεθιζον

Sane ego cum viris, etiam, quam vos estis, melioribus** (an **fortioribus**) **egi familiariter, nec unquam ab ipsis fui contemtus.

Versus 342. mirus profecto *versus* est, quod ad *syllabarum* sive *metri* naturam attinet

Τοις αλλοις· η γαρ·ογ' ολοῃσι φρεσι θυει

In quibusdam editionibus legitur η γαρ αν ογ', sed hoc videtur longe minus consistere. An Poëta rem stultam narrans, de industria *versum* fecit scabiosum? Quod ad θύειν ὀλοαῖς φρεσὶν pro *stolide, perdite, exitiose agere*, attinet, eodem id dicitur modo, quo ταῖς Μέσαις καὶ Χάρισι θύειν pro *non incondite nec rustice agere*, sive *litare Musis & Gratiis*; uti & θύειν ἀληθεία *litare veritati*, ac similia.

Versu 388. artificiose durissimi tardissimique *Spondaei* ad minantis gravitatem effingendam

Ηπειλησεν μυθον, ὁ δη τελελεσμεν© εςι

Similiter ad rupturae difficultatem verbis assequendam Il. B 544

Θωρηκας ρηξειν δηιων αμφι ςηθεσσι

Adde Il. Γ 348. de quo infra.

Versu 509. inhumana, nedum non divina, est petitio Thetidis Jovem precantis, Graecos malis urgeat, donec debitus Achilli habeatur honos. Quid

 ini-

iniquius in hominem, nedum in Deum Deamve cadat, quam unius hominis, quamquam filii (nam Achilles fingitur Thetidis filius) honorandi ulciscendique causa, aliquot innocentium, eorumque popularium ac civium millia velle plecti? Sed, dices, ac forte recte dices, *Homerus est poëta*, & matri, ob non honoratum filium suum indignanti, affectum tribuit violentiorem, muliebrem, maternum: Quin & idem poëta passim heroibus suis Diisque eos affingit animos, qui animi tunc temporis erant principibus mortalium, caetero hominum grege, tamquam si essent pecora, uti solitis, quae pecora pastor, ubi vult, caedit ac comedit. Hinc Homerus reges alibi *ποιμένας λαῶν*, alibi *δημοβόρυς* appellat. Sed & fraudes ac mendacia ipsi tribuuntur Jovi, potissimum ab initio *Iliadis* B usque ad *vs.* 120. & ultra, disertisque verbis *vs.* 111, 112, 114. item Il. M 164 Jupiter dicitur *φιλοψευδής*, *mentiri amans*. Sed & Pallas data opera a *vs.* 173 *Il.* B Ulyssem, quasi fideliter monens, ad perniciosum quid Graecis impellit. Huc pertinet, quod Hector barbare atque incondite malignitati Jovis tribuit, quod foedus Trojanos inter & Graecos cum utrorumque clade esset ruptum *Il.* H. 69. quo item loco apparet, Hectori Apollinem magis quam Jovem fuisse cultum: Nempe vulgo Jupiter fingitur Graecis magis favere quam Trojanis.

Ad Iliadis B

Passim apud Homerum ii, qui finguntur mitti nuncii sive Legati, iisdem fere verbis mandata peragunt, quibus verbis jussi fuerint. Vide exemplum a *vs.* 5. ad 35. Adde de Iride, iisdem, quibus

quibus nunciare jussa fuerat, verbis utente Il. Θ 416.

Versu 486. Ἡμεις δε κλεος οιον ακουομεν, ουδε τι ιδμεν Belgice *Wy hooren met de lakeijen in den Raad*

Versu 489. Ουδ' ει μοι δεκα μεν γλωσσαι, δεκα δε στοματ' ειεν,
Φωνη δ' αρρηκτος, χαλκεον δε μοι ητορ ενειη

Virgilius imitatus est
Non mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox ———

Ad Γ

Versu 35. ὠχρὸς proprie notans *pallidum*, sumitur pro *pallore*, uti νεκρὸς, *mortuus*, saepe pro *cadavere*.

Versus 348. durissimus, sed summo artificio tam durus: Nam cum *versu* priori de Paride narraretur

Και βαλεν Ατρειδαο κατ' ασπιδα πανλοσε ισην,

subjicitur

Ουδ' ερρηξεν χαλκον, ανεγναμφθη δε οι αιχμη

Profecto in tribus prioribus hisce *pedibus*, rigide atque horride se habentibus, quasi cernitur auditurque teli, Menelai clypeum ferientis, at non penetrantis, resiliens resonansque impetus, aures oculosque spectantium offensans & quasi verberans: Tum haud minus artificiose tribus istis horridulis ac stridulis *spondaeis* e vestigio subjecti sunt *pedes* molliores quidem [ανεγναμφθη δε οι αιχμη] sed tamen per mediam istam *syllabam* γναμφ praefractae teli sive cuspidis aciei inflexionem obtusionemque

sionemque naturaliter effingentes. Hic *versiculus* pari opportunitate bis recurrit infra Il. Η 259. & Ρ 44.

Versu 357. En velox vehemensque impactae hastae penetratio per insignem libertatem *metricam*, easdem earumdem vocum *syllabas* nunc corripientem, nunc producentem

Δια μεν ασπιδος ηλθε φαεινης οβριμον εγχος
Και δια θωρηκος

perinde atque alibi

Αρες, Αρες, βροτολοιγε, μιαιφονε, τειχεσιπλητα

syllabarum quantitate (ajunt pueri) ad arbitrium flexa & reflexa, quo res, quam effingere velit Poëta, vividius effingatur.

Ad Iliadis Δ

Versu 249. Οφρ᾽ ιδητ᾽, αικ᾽ ὑμμιν ὑπερσχοι χειρα Κρονιων

merus quasi *Belgismus*, *Iemand de hand boven 't hoofd houden.*

Versu 257. usque ad 265. mira est adhortatio Agamemnonis, hortantis Idomenea in ipso proelii fervore. Vide ac ride

Ιδομενευ, περι μεν σε τιω Δαναων ταχυπωλων,
Η μεν ενι πτολεμω, ηδ᾽ αλλοιω επι εργω,
Η εν δαιθ᾽, ὁτε περ τε γερυσιον αιθοπα οινον
Αργειων ὁι αριστοι ενι κρητηρσι κερωνται.
Ειπερ γαρ τ᾽ αλλοι γε καρηκομοωντες Αχαιοι
Δαιτρον πινωσι, σον δε πλειον δεπας αιει
Ἑστηχ᾽ ὡσπερ εμοι, πιεειν ὁτε θυμος ανωγοι

Te vero, Idomeneu, caeteris non pigris Graecis longe praefero sive in acie, sive alibi, item inter epulas, ubi fortis-

fortisſimi quique annoſa & ardentia vina potant: Nam ubi caeteri ex poculis vix ſemiplenis pitiſſant, tibi identidem, velut & mibi, coronatum eſt poculum, quoties potare fert animus.

Verſu 274. —— —— Νεφος εἵπετο πεζων
Sic *nubes* pro multitudine, ubi dicitur *nubes teſtium*,

Verſu 313. usque ad 326. minus probabile eſt, in urgente neceſſitate ac medio fervore pugnae tam alte repetitos ſermones inter Duces commode poſſe haberi, quam ibi habentur Neſtora inter & Agamemnona: Similiter a *vſ.* 371. nec non inſigniter *Il* Z a *vſ.* 123. ad 231. inter Glaucum ac Diomeden. Adde nos infra ad *Il.* T 178

Verſu 442. quod Virgilius de Fama dicit

Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo & caput inter nubila condit

Homerus dicit de Eride, contentionis litiumque Dea

Ἥ τ' ὀλιγη μεν πρωτα κορυσσεται, αυταρ επειτα
Ουρανῳ εστηριξε καρη, και επι χθονι βαινει

Verſu 510. Apollo, Trojanis in Graecos animum dans, ait, Graecis cutem non eſſe *lapidem ferrumve*, quo minus ahenea tela in ipſorum penetrent corpora,

—— Ου σφι λιθος χρως, ουτε σιδηρος

Videtur haec eſſe vetus Aſiatica formula de homine invicti roboris; nam & Jobus rogat, *num ſibi cutis ſit ferrum*, quo ſcilicet dolores ſuos vel non ſentiat, vel ferat.

Ad Iliadis E

Versu 29. oppido naturaliter ſtupor horrorque trepidantium

Πασιν ορινϑη ϑυμος ———

Verba in abrupto hoc metro quaſi palpitant.

Verſu 283. colloquuntur inter ſe homo Trojanus & homo Graecus, dum infeſtis telis alter alterum petunt. Poſſit hic, & in ſimilibus caſibus Homerus dici parum decore minusve probabiliter facere hoſtem cum hoſte in acie colloquentem, eosque diverſae nationis, atque adeo diverſa utentes lingua. Forte dicet quis, Trojanam linguam & Graecis, vel Graecam etiam Trojanis quibusdam fuiſſe intellectam. Vide iterum infra ad Il. Υ 178

Ad Z

Sicuti David, rex Iſraëlis, ob geſta bella fertur vetitus templum Deo condere, ita Hector veniens e proelio juſſusque a matre Hecuba libare vinum Jovi, negat, ſe id facturum manibus ſanguine maculatis: Ait autem *vſ.* 266.

Χερσι δ' ανιπ]οισι Διϊ λειβειν αιϑοπα οινον
Αζομαι· ȣδε πω εςι κελαινεφεϊ Κρονιωνι
Αιματι και λυϑρῳ πεπαλαγμενον ευχεταασϑαι.

Hoc ipſum & ad Aenéan ſuum tranſtulit Maro, ut quem faciat negantem, *ſibi venienti de caede recenti* licere *ſacra contrectare, donec ſe flumine vivo abluerit.*

Verſu 301. artificioſe exprimitur luctus per abrupta *Adonia*, ita ut ſubſultantes in hominibus gra-

graviter dolentibus singultus prope audire videaris

Αἱ δ' ολολυγῃ πασαι Αθηνῃ χειρας ανεσχον

Versu 345. Quemadmodum Jobus exsecratur diem, quo fuit genitus, ac noctem, qua conceptus fuit, ita fere Helena

Ὡς οφελ' ηματι τῳ, ότε με πρωτον τεκε μητηρ,
Οιχεσθαι προφερουσα κακη ανεμοιο θυελλα
Εις ορος η ες κυμα πολυσφλοισβοιο θαλασσης,
Ενθα με κυμ' αποερσε παρος ταδε εργα γενεσθαι

Versu 410. & *seqq.* Antiquis temporibus videntur Graeci Epirotae bellasse in maritimos Asiae Minoris populos: Certe Achilles memoratur vastasse Thebam Cilicum, patriam Andromaches: adde *vs.* 397. Tum hic observa, non in Aegypto modo & Attica, sed & in Cilicia fuisse Thebam.

Versu 413. ac seqq. Narratio Andromaches, loquentis de patria sua, patre, & familia ad Hectora, videtur intempestiva, minusque necessaria, nimisque longa; quum verosimile sit, dudum ista omnia Hectori fuisse cognita. Si dicas, feminas esse loquaces, Tamen feminam principem, qualem Andromachen, non decet fingi talem.

Versu 447. usque ad 494. tenerrima est confabulatio Hectoris & Andromaches: Tum quod de Astyanacte, lactente Hectoris & Andromaches filiolo, galeatumque patrem reformidante atque in sinum nutricis se abdente, intexitur, prae caeteris est amabile.

Ad

Ad Iliadis H

Verſu 49. Paſſim videtur apud priſcos moris fuiſſe in bello (uti apud Philiſtaeos in Goliatho, apud Romanos in Horatiis & Curiatiis, item in Manlio & Valerio) ut ſingulorum ternorumve certamini tota permitteretur fortuna belli. Itaque vide id hic ac deinceps ſaepius in hoc libro H apud Homerum, ac notabiliter *vſ.* 150. ubi Neſtor, fratrum ſuorum natu minimus, provocatorem Ereuthaliona, corpore ac robore inter ſuos maximum, occidit, qualis David Goliathum.

Verſu 193. Ajax ſortitus munus pugnandi cum Hectore, dicit ſuis

Αλλ᾽ αγετ᾽, οφρ᾽ αν εγω πολεμηϊα τευχεα δυω,
Τοφρ᾽ ὑμεις ευχεσθε Διϊ Κρονιωνι ανακτι
Σιγῃ εφ᾽ ὑμειων, ἱνα μη Τρωες γε πυθωνται.

Dum ego arma capio pugnoque, vos interim precamini Jovem tacite, ut ne Trojani audiant. Ultimum hujus admonitionis ſit ridiculum, velle milites voce tam ſubmiſſa precari, ut hoſtis non exaudiat; niſi Ajax ſtatuendus ſit vetare magnum in precando ſtrepitum & quaſi barritum. Ipſa vero hic juſſa precatio, dum Ajax ferro cum Hectore decerneret, convenit cum Hiſtoria Sacra Moſis, manus ad coelum ſublatas tenentis, dum acie decertabat Joſua *Exodi* XVII.

Verſu 206. & ſeqq. memoratur Ajax, ubi omnem induiſſet armaturam, proſiluiſſe exſultabundus, non ſecus ac ſi ipſemet eſſet Mavors: Deinceps eximio verborum bene accommodatorum delectu & ordinatione *metrica* vigor Ajacis & alacritas, ad pugnandum cum Hectore properantis, effingitur. Ecce totum, ſi forte non pigeat te,

Αιας

—— Αιας δε κορυσσετο νωροπι χαλκω.
Αυταρ επειδη παντα περι χροϊ έσσατο τευχη,
Σευατ' επειθ'. οἱος τε πελωριος ερχεται Αρης,
Ος τ' εισιν πολεμονδε μετ' ανερας ——
Τοιος αρ' Αιας ωρτο πελωριος, έρκος Αχαιων,
Μειδιοων βλοσυροισι προσωπασι· νερθε δε ποσσιν
Ηϊε μακρα βιβας, κραδαων δολιχοσκιον εγχος.

Vis ac decor totius hujus loci, uti & innumerabilium aliorum Homeri locorum, nec commode in aliam vertatur linguam, nec nisi Graece scienti intelligatur. Quis enim vel νώροπα χαλκὸν, vel πελώριον Αρη, tum verba μειδιοων βλοσυροισι προσωπασι, item μακρα βιβας, denique κραδαων δολιχοσκιον εγχος satis digne verterit ac simul parem rebusque respondentem nunc volubilitatem, nunc majestatem verborum ac *metri* accommodarit?

Versu 238. dexteritas Hectoris atque agilitas, item reluctantis bovis circumactio mirum quantum bene exprimitur

Οιδ' επι δεξια, οιδ' επ' αριστερα νωμησαι βων
Αζαλεην —— —— —— ——

Novit dextrorsum, novit sinistrorsum agere ac torquere bovem violenter reluctantem: Latina haec mea prae Graecis nihil artis, nihil Gratiae habent: Tu, si possis, suggere hic Latinum mollius magisque idoneum. Βῶν (Poëtice Βῶν) ἀζαλέην interpres Graecus interpretatur Βῶν ξηρὰν *bovem siccam* interpretatione arida & *sicca.*

Versu 258. & hic eximie per *dactylos* exprimitur celeritas, nec non per *spondaeos* tarditas, pro utriusque rei natura

Πριαμιδης μεν επειτα μεσον σακος ουτασε δουρι·
Ουδ' ερρηξεν χαλκον· ανεγναμφθη δε οι αιχμη

De secundo hoc *versiculo* jam supra ad Γ. 348. nonnihil diximus.

Ad Iliados Θ

Versu 19. potentia divina ridiculum in modum, id est poëtice & ad vulgi captum accommodate, describitur: Catena fingitur aurea, ex qua *omnes* Dii cum Deabus penduli *unum* tamen Jovem de coelo nequeant detrahere, sed *unus* Jupiter facile & maria & terras subtrahat. Ovidius haud minus ridicule Jovi tribuit caesariem, quam movens moveat simul *terras*, *mare*, *sidera*.

Deinceps apud Homerum fingitur Jupiter cum curru & equis descendens, res Graecorum Trojanorumque inspecturus, duas sumsisse lances, quibus exitum pugnae, quam Graeci cum Trojanis tunc pugnabant, exploraret, positis ad id in altera lance fatis Graecorum, in altera fatis Trojanorum. Atqui hoc ipso eripitur Jovi promta ac semper praesens, Déoque competens, rerum eventuumque scientia: Idque plus semel alibi fit cum apud Homerum, tum apud alios Poëtas. Ita Ovidius I. *Metamorph.* facit Jovem *reminiscentem* (ergo non promte scientem, sed quasi antea oblitum)

—— —— esse in fatis, —— affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli
Ardeat, ac mundi moles operosa laboret.

Sed & fatis Deos subjicit Virgilius, apud quem Juno ait

Quippe vetor fatis ——

Hinc & metus tribuitur Jovi *Il.* Υ 30. nequid ante fati diem fiat; & Ovidianus Jupiter

—— timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
Conciperet flammas, totusque ardesceret axis.

Versu

Verſu 107. artificioſe equorum celeritas, huc illuc ſe circumagentium nunc ad fugam, nunc ad perſequendum, ſignificatur

Κραιπνα μαλ' ενθα και ενθα διωκεμεν ηε φεβεσθαι

Verſu 160. verba Hectoris ad Diomeden, tempeſtatis cauſa ex pugna recedentem, ſunt hominis ſtolide inſultantis: ac multum nobis obſcuri Homerus immiſcuit: Quid enim notat, quod Diomedes vocatur κακη γληνη? Tum quid vult Hector dicens τοι δαιμονα δωσω? Nec Euſtathius, nec caeteri Scholiaſtae hic quidquam niſi ad vulgarem vocis γληνη & δαιμων ſignificationem, ex re ipſa ſatis claram, expediunt: Credibile tamen eſt, *proverbialiter* & hominem ob ſingularem aliquam indolem dictum fuiſſe κακην γληνην, & *interficere quem* dictum fuiſſe δαιμονα διδοναι τινι· ſed ita non aperitur, unde hujusmodi locutiones fuerint ſumtae.

Verſu 235. Αξιος pro *par*, *aequipollens*, ισοςασιος· ita & ανταξιος

Εις ιητρος ανηρ πολλων ανταξιος αλλων

Verſu 282. (& Il. Λ 796. P 615.) vir fortis dicitur *ſuorum Lux*

——— Φως Δαναοισι γενηαι

Ita Virgilio dicitur Hector *lux Dardaniae.* Item in Sacris noſtris vir ſalutifer *Lux gentium.*

Verſu 389. mirifica celeritas ac vehementia aptiſſimis verbis expreſſa, cui pariter artificioſa tarditas ſubjicitur

Ες δ' οχεα φλογεα ποσι βησετο, λαζετο δ' εγχος
Βριθυ, μεγα, ςιβαρον, τῳ δαμνησι ςιχας ανδρων

Nihil nempe celerius fingi poteſt quam impetus verborum οχεα φλογεα ποσι· contra, nihil tardius

graviusque, quam quod ſequitur, τῳ δαμνησι ςιχας ανδρων, ad gravem effingendam ſtragem, ex curru in perrumpenda hoſtium acie datam; id quod niſi ſumma vi in hoſtem quaſi decumbendo fieri nequit. Tum ad iſtud

—— —— —— —— λαζετο δ' εγχ☉ ...

Βριθυ, μεγα, ςιβαρον ——

terribilem vultum geſtumque & armatam manum Palladis, in Trojanos ſaevientis, quaſi videre videris ac trepidare.

Verſus 399. ruit & ipſe celerrime, quo Iris jubetur ire celeriter ac redire

Βασκ', ιθι, Ιρι, ταχεια, παλιν τρεπε ——

Verſu 433. artificioſa item exhibetur tarditas in equis jugo ſolvendis, ubi juſta praeceſſerat celeritas: Nempe Pallas

—— παλιν τρεπε μωνυχας ιππες·
Τῃσιν δ' Ωῥαι μεν λυσαν καλλιτριχας ιππες

nec inepta eſt repetitio vocis ιππες· quin haec ipſa repetitio artem Poëtae adauget, eximiam equorum iſtorum formam habitumque ſic declarantis.

Ad Iliadis K

Verſu 45. in verbis —— Δι☉ ετραπετο φρην valde eleganter per iſtud *monoſyllabon* φρην exprimitur infeſti ſubitoque averſantis Jovis animus. Feliciter imitatus eſt Virgilius de Pallade infeſta Trojanis

—— —— *Averſa Deae mens.*

Homericam animi, ad iram indignationemque converſi, celeritatem compenſat Virgilius vocabulo *averſa*, ſubito indignantis abdicantisque actum vivide

vide effingens, ac meo quidem judicio sola hujus ipsius vocis, hic ita opportunae, vi Homerum longe superans.

Versu 173. eleganter sive periculum in mora, sive iste status temporis aut rerum conditio, unde magnae rei eventus dependeat (quod Latinis *discrimen* dicitur) exhibetur sub imagine rei, in acie novaculae consistentis, ac vel levissimo motu in alterutram partem prolapsurae: Ait enim Nestor

Νυν γαρ δη παντεσσιν επι ξυρε ἱςαται ακμης
Η μαλα λυγρος ολεθρος Αχαιοις ηε βιωναι

Versu 297. vividum expeditumque est
Βαν ῥ᾽ ιμεν ὡςε λεοντε δυω δια νυκτα μελαιναν
Αν φονον, αν νεκυας, δια τ᾽ εγχεα και μελαν αἱμα

Versu 572. artificiosissima lentitudo ac celeritas, utraque suo loco ac pro rerum ipsarum natura

Αυτοι δ᾽ ἱδρω πολλον απενιζοντο θαλασση
Εσβαντες κνημας τε, ιδε λοφον, αμφι τε μηρες·
Αυταρ επει σφιν κυμα θαλασσης ἱδρω πολλον
Νιψεν απο χρωτος, και ανεψυχθεν φιλον ητορ,
Ες ῥ᾽ ασαμινθες βαντες εϋξεςας λεσαντο.
Τω δε λοεσσαμενω και αλειψαμενω λιπ᾽ ελαιω,
Δειπνω εφιζανετην· απο δε κρητηρος Αθηνη
Πλειε αφυσσαμενοι λειβον μελιηδεα οινον.

Duobus hic in initio *versiculi* primi & in fine tertii *spondaeis* istis [ἱδρω πολλον] admirabilem in modum exprimitur lentus actus hominum, sudorem alicui per omne corpus manantem detergentium: Tum *Versu* quarto istud ανεψυχθεν φιλον ητορ mire exhibet animae, gravi labore exhaustae, sed interposita brevi mora redintegratae, lene ac suave suspirium: *Versu* quinto insequitur celer in lavacra, ad se totos lavandos, receptus, tribus prioribus *versiculi* verbis *metro* abrupto expressus; Denique

 ala-

alacritas lotorum unctorumque, ad epulas & vina properantium, per volubiles *Dactylos* ad finem usque.

Ad Iliadis Λ

Versu 4. Eris, sive Discordia, belle per *Dactylos* fingitur signum belli manibus vibrare

—— πολεμοιο τερας μετα χερσιν εχουσα

Versu 10. admodum solerter ac naturaliter acer Eridis, subito gradum sistentis, clamor

Ενθα στασ' ηϋσε θεα μεγα τε δεινον τε

Versu 15. usque ad 47. mirae elegantiae est descriptio armaturae Agamemnonis. Nimirum *versu* 27. ac deinceps memorantur in thorace ad partem collarem utrimque terni effecti dracones, singuli Iridis speciem habentes: Tum addit Poëta, Irin ab Jove pro divino signo in nubibus fixam esse mortalibus

Κυανεοι δε δρακοντες ορωρεχατο περι δειρην
Τρεις εκατερθ', Ιρισσιν εοικοτες, ας τε Κρονιων
Εν νεφεϊ στηριξε τερας μεροπων ανθρωπων.

Vel me tacente apparet, unde Homerus istud de Iride pro divino signo hominibus data habeat. Quod vero *Irides* in *plurali* dicuntur hic pro signo constitutae fuisse in nubibus ab Jove, non nimis severe exigendum hic est in Poëta, qui prius dixerat ternos utrimque (id est ab dextra parte & sinistra) dracones in Agamemnonis thorace fuisse effictos in formam Iridum, id est singulos figuram coloremque Iridis habentes. *Irides* ergo in *plurali* hic eodem fere modo, immo minus audacter, dicuntur Homero, quam *celeres Lunae* dicuntur

cuntur Horatio pro perpetuo itu redituque Lunae, ſive pro renovatis idemtidem prioribus Lunae *phaſibus*: ita & ſol eidem dicitur *aliusque & idem* idemtidem *naſci*: Nonnumquam etiam apud non-poëtas *ſoles* pro diebus temporibusque una cum ſole euntibus ac redeuntibus. Homerus ergo dicens, *Iridas* in nubibus ab Jove conſtitutas, non tam plures intelligit Iridas, quam frequentes illas in nubibus Iridis *phaſes* ſive conſpectus aut *apparitiones*, ut hodie loquuntur.

Paulo poſt, quae de Agamemnonis clypeo & caſſide binisque haſtilibus dicuntur, ſunt tanta arte poëtica in *metro* ac *pedibus*, ut non poſſim, quin deſcribam ac paucis exſequar

32 Αν δ' ἑλετ' αμφιβροτην πολυδαιδαλον ασπιδα θȣριν,
Καλην, ἡν περι μεν γε κυκλοι δεκα χαλκεοι ησαν·
Εν δε οἱ ομφαλοι ησαν εεικοσι κασσιτεροιο
Λευκοι· εν δε μεσοισιν εην μελανος κυανοιο.
Τῃ δ' επι μεν Γοργω βλοσυρωπις εστεφανωτο
Δεινον δερκομενη, περι δε Δειμος τε Φοβος τε·
Της δ' εξ αργυρεος τελαμων ην· αυταρ επ' αυτῳ
Κυανεος ελελικτο δρακων· κεφαλαι δε οἱ ησαν
Τρεις αμφιστρεφεες, ἑνος αυχενος εκπεφυυιαι.
Κρατι δ' επ' αμφιφαλον κυνεην θετο τετραφαληρον,
Ἱππȣριν· δεινον δε λοφος καθυπερθεν ενευεν.
Είλετο δ' αλκιμα δȣρε δυω, κεκορυθμενα χαλκῳ,
Οξεα· τηλε δε χαλκος απ' αυτοφιν ȣρανον ειςω
Λαμπ'. Επι δ' εγδȣπησαν Αθηναιη τε και Ἡρη,
Τιμωσαι βασιληα πολυχρυσοιο Μυκηνης.

Celeribus *Dactylis* velox Agamemnonis exprimitur promtitudo in arripiendo clypeo *verſu* 32. cui volubili *metro* ſubjicitur ex abrupto *Spondaeus* Καλην, quaſi Poëta ſuum ac legentis Lectoris impetum ſubito ſiſtat ad caeteram iſtius clypei pulcritudinem ſibi peragendam & Lectori contemplandam. Tum *verſu* 34. tortiles iſti parvi circuli, umbilicum in medio facientes clypeo, per agiles item

item *Dactylos* quasi oculis cernuntur: Quae ipsa *Dactylorum* agilitas ac circumvolutio subito per abruptum *spondaeum* λευκοὶ sistitur. Hinc de integro celeriter caetera in istoc clypeo admiranda decurruntur, idque inimitabili commodorum verborum congerie. Inimitabiliter scilicet Gorgo, in hoc clypeo efficta, *versu* 36. dicitur βλοσυρῶπις, ac circa locantur Pavor Terrorque *versu* 37. Non minus gnaviter a *versu* 41. ad 44. Homericus Agamemnon cristatam imponit capiti galeam, ac bina sumit hastilia: Hic quoque vigent properantque *Dactyli*: Hic quoque grande quid immiscetur ac sublime de armaturae hujus splendore, coelum ipsum penitus illustrante: Denique pro Majestatis coronide adjicitur Minervae ac Junonis de coelo acclamatio, Agamemnona honorantium.

Versu 67. & *seqq.* prope auribus hauritur metentium messorum demessio, falcium immissarum stridor, demessarumque spicarum collapsio,

Οἱ δ' ὡς' αμητηρες εναντιοι αλληλοισιν
Ογμον ελαυνωσιν ανδρος μακαρος κατ' αρυραν
Πυρων η κριθων· τα δε δραγματα ταρφεα πιπτει

Versu 256. *epitheto* mire eleganti & in *syllabis* & in significatione, hasta manu vibrata dicitur ανεμοτρεφες εγχος· Dic hoc ipsum Latine *hasta vento innutrita*, vel alio quovis modo; dure dixeris atque horride.

Versu 265. item 541. celerrima celeritas de re celerrime perpretata

Εγχεϊ τ' αορι τε, μεγαλοισι τε χερμαδιοισιν
adde vs. 503.
Εγχεϊ θ' ιπποσυνῃ τε, νεων δ' αλαπαξε φαλαγγας
item vs. 297.
———— υπερραεϊ ισος αελλῃ,
Η' τε καθαλλομενη ιοειδεα ποντον ορινει

Cedo,

Cedo, qui haec loca vertat in aliam quamvis linguam, nec simul omnem, quae in Graeco est, pulcritudinem & veram rerum hic dictarum naturae imaginem evertat: adeo ut nullo magis inaestimabilis Homeri dignitas vilescat, quam qualicumque in aliam linguam trajectione.

Versus 791. contra est languidissimus, idque, si rem spectes, summa vicissim arte

Τις δ' οιδ', ει κεν οι συν δαιμονι θυμον ορινας
Παρειπων;

Ad Il. M

Versu 37. vere ac graviter bellum dicitur flagrum Jovis μάςιξ Διός.

Versu 48. obstinata & intrepida Leonis Aprive, venatoribus circumventi pressique, contentio ac perruptio, convenienti metro expressa

Οππη τ' ιθυνε, τη εικουσι στιχες ανδρων

Versu 462. Descriptio Hectoris perrumpentis transcendentisque vallum, quo Graeci se navesque praesepserant, vivido volubilique *metro* est concepta

—— ὁ δ' αρ' εσθορε Φαιδιμος Εκτωρ
Νυκτι θοη αταλαντος ὑπωπια· λαμπε δε χαλκῳ
Σμερδαλεῳ, τον ἑεστο περι χροϊ· δοια δε χερσι
Δουρ' εχεν· ουκ αν τις μιν ερυκακοι αντιβολησας
Νοσφι θεων, ὁτ' εσαλτο πυλας· πυρι δ' οσσε δεδηει.
Κεκλετο δε Τρωεσσιν ἑλιξαμενος καθ' ὁμιλον
Τειχος ὑπερβαινειν —— ——

Illud νυκτι θοη αταλαντος ὑπωπια mirifica elegantia subitum declarat terrorem, quem celer Hector torvo vultu haud aliter injecerit Graecis, quam

M iii subita

subita nox medio die coelum terrasque cooperiens terrorem injiciat mortalibus. Tum Hectoris, in Graecorum castra insultantis advocantisque Troas, ardentes oculi per rotatos *Dactylos* quasi conspiciuntur *vs.* 466

——— ὁ τ' εσαλ]ο πυλας· πυρι δ' οσσε δεδηει·
Κεκλετο δε Τρωεσσιν ελιξαμενος καθ' ὁμιλον

Ad Iliadis N

Versu 39. Τρωες δε φλογι ισοι αολλεες ηε θυελλη & hic in ipso *metro* quasi conspicitur Trojanorum *ardor, flammae ac turbinis instar agitantium.*

Versu 70. de Neptuno, sub figura Calchantis incitante Graecos ad pugnam, sed ex vestigiis suis, quis esset, cognito

Ουδ' ὁγε Καλχας εςι θεοπροπος οιωνιςης·
Ιχνια γαρ μετοπισθε ποδων ηδε κνημαων
Ρει' εγνων απιον]ος· αριγνωτοι δε θεοι περ

Hoc ipsum imitatus est Virgilius de Venere, formam suam frustra occultante; sed multo argutius, quam de Neptuno Homerus, dixit

Et vera incessu patuit Dea ———

Sane Virgilianum istud *patuit Dea* melius intelligi potest quam verbis explicari: Et quamquam forte sine exemplo ita loquitur Virgilius, satisfacit perplacetque auribus sensuique Lectoris, certe meis. Homerus, meo judicio, & hic prae Virgilio est frigidus.

Versu 279. ignavus forti oppositus

Τȣ μεν γαρ τε κακȣ τρεπεται χρως αλλυδις αλλη,
Ουδε οἱ ατρεμας ἡσθαι ερητυετ' εν φρεσι θυμος,

Αλλα

Αλλα μετοκλαζει, και επ' αμφοτερυς ποδας ιζει,
Εν δε τε οι κραδιη μεγαλα στερνοισι παταασσει
Κηρας οιομενω, παταγος δε τε γινετ' οδοντων.
Τυ δ' αγαθυ υτ' αρ τρεπεται χρως, υτε τι λιην
Ταρβει, επειδαν πρωτον εσιζηται λοχον ανδρων,
Αραται δε ταχιστα μιγημεναι εν δαϊ λυγρη.

Homini ignavo aliter atque aliter idemcidem ait mutari colorem in ore; irrequietum agitari animum; flecti genua; pectora subsultare anhelitu; praesentem quasi mortem obversari; dentes illidi dentibus: At viro forti vultum coloremque esse unum: Hunc, simul atque in aciem venerit, non nihil quidem, at non multum moveri, immo in animo tacitum precari Deos, detur sibi e vestigio miscere proelia. Sed haec omnia Homerus tam pulcre aptis exsequitur *numeris*, ut nulla versio pulcritudinem istam adsequatur, quale & hoc

—— Φλογι εικελος αλκην

vi flammam exaequans vs. 330. Sed *syllabae* Homericae demum mobilitatem agilitatemque flammae exaequant, prae quibus Latina mea versio est rigida & quasi stupida.

Versu 631. Menelaus videns Trojanos a Graecorum navibus jam repelli, quas antea favente Jove videbantur expugnaturi fore, palam insultat objectatque, eum Graecis, hominibus nefariis, favere

Ζευ πατερ, ητε σε φασι περι φρενας εμμεναι αλλων
Ανδρων ηε Θεων; σεο δ' εκ ταδε παντα πελονται.
Οἱον δη ανδρεσσι χαριζεαι ὑβριστηισι!

Nempe post Θεῶν pono signum interrogationis, & post ὑβριστῆσι exclamationis; ita ut contumeliose roget Menelaus Jovem, *Itane Diespiter? Tene ajunt consilio ac mente provida Diis hominibusque praestare? Atqui haec omnia mala abs te nobis proficiscuntur.*

ciſcuntur. Phy! quantum nefariis hominibus, hoſtibus noſtris, *gratificaris!*

Ad Iliadis Ξ

Verſu 83. Ulyſſes occurrit ut vir fortis atque intrepidus, Agamemnoni conſilium deferendi belli domumque rebus infectis remeandi diſſuadens: Tum ne ſemel quidem memorat Homerus Palameden patremve ejus Nauplium; item nihil de inſania, quam vulgo traditur finxiſſe Ulyſſes, quo ſe expeditioni in Trojam ſubduceret. Hinc apparet, varias rerum perſonarumque ; ad expeditionem iſtam referendarum, fuiſſe traditiones: certe Virgilium alioſque, ſive Poëtas ſive Mythologos Graecos Latinoſque, fictam Ulyſſeam inſaniam ac Tragicum inſontis Palamedae caſum memorantes, etiam aliis praeter Homerum uſos fuiſſe auctoribus.

Verſu 153. ac *ſeqq.* venuſtum eſt, quemadmodum Juno omni illecebroſo cultu mundoque muliebri ſe ornarit comſeritque ad placendum Jovi. Multis praemiſſis, verſu 170. Juno

Αμβροσιῃ μεν πρωτον απο χροος ἱμεροεντος
Λυματα παντα καθηρεν, αλειψατο δε λιπ' ελαιῳ
Αμβροσιῳ, εδανῳ, τo ῥα οἱ τεθυωμενον ηεν.
Τȣ και κινυμενοιο Διος ποτι χαλκοβατες δω
Εμπης ες γαιαν τε και ȣρανον ἱκετ' αϋτμη.
Τῳ ῥ' ἡ γε χροα καλον αλειψαμενη, ιδε χαιτας
Πεξαμενη χερσι πλοκαμȣς επλεξε φαεινȣς,
Καλȣς, αμβροσιȣς εκ κρααιτος αθανατοιο.

Primum dicitur *divini panis medulla deterſiſſe ſibi corpus, ac divino unxiſſe oleo, cujus ſuavis odor omne coelum ſubjectasque terras ſubito impleverit : Item criſpaſſe*

spasse sibi aeternum vernantes capillos. Hinc a *versu* 179.

Αμφι δ' αρ' αμβροσιον ἑανον ἑσαθ', ὄν οἱ Αθηνη
Εξυσ' ασκησασα, τιθει δ' ενι δαιδαλα πολλα·
Χρυσειης δ' ενετησι κατα στηθος περονατο·
Ζωσατο δε ζωνη ἑκατον θυσανοις αραρυιαν,
Εν δ' αρα ἑρματα ἡκεν ευτρητοισι λοβοισι
Τριγληνα, μορoεντα· χαρις δ' απελαμπετο πολλη·
Κρηδεμνω δ' εφυπερθε καλυψατο Δια Θεαων
Καλω. νηγατεω· λευκον δ' ην ηελιος ὡς·
Ποσσι δ' ὑπαι λιπαροισιν εδησατο καλα πεδιλα

divinam Juno sumsit chlamydem, Minervae opus, item zonam inauresque & vittas crinales, nec non crepidas, omnia formosa, lucida, splendida &c. Tum *versu* 199.

Δος νυν μοι Φιλοτητα και Ἵμερον, ᾧ τε συ παντας
Δαμνᾳ αθανατους ηδε θνητους ανθρωπους

a Venere petit *os istud amabile, laetum, bilare, blandum, quo Venus sibi in Deos bominesque conciliat imperium:* Sic quidem ego Φιλότητα καὶ Ἵμερον interpretor, quia melius non possum, nec scio, qua lingua quis duo haec exaequet interpretando. Sed & ad ultimos hujus loci *versus* reliquos

—— απο στηθεσφιν ελυσατο κεστον ἱμαντα
Ποικιλον· ενθα δε οἱ θελκτηρια παντα τετυκτο·
Ενθ' ενι μεν Φιλοτης, εν δ' Ἵμερος, εν δ' οαριστυς,
Παρφασις, ἡτ' εκλεψε νοον πυκα περ φρονεοντων·
Τον ρα οἱ εμβαλε χερσιν ———

lingua Latina deficit, ubi Junoni *Venus commodat cestum suum, cui omne illecebrarum genus esset intextum, quibus illecebris ne severissimae quidem sapientiae gravitas non vincatur ac captiva fiat.*

In blando hoc apparatu cum Juno de improviso veniret ad Jovem, ex Idaeis jugis adjuvantem proeliantes Troas, obstupuit Jupiter *versu* 293

———— ιδε δε νεφεληγερετα Ζευς·
Ὡς δ' ιδεν, ὡς μιν ερως πυκινας φρενας αμφεκαλυψεν

Uti *Dactyli* isti in verbis ιδε δε νεφεληγερετα subitum Jovis denotant contuitum, ita adjectum e vestigio *monosyllabum* Ζευς declarat Jovem stupore defixum fuisse: Repetitis illico *dactylis*

Ως δ᾽ ιδεν, ὡς μιν ερως πυκινας φρενας αμφεκαλυψεν

celer Amor intentam Jovis mentem corripiens abripiensque effingitur. Imitatus, non assecutus est Virgilius in *Ut vidi, ut perii* —— Lentum istud *ut vidi* Homerica caret Gratia.

Deinceps Jupiter, confessus, se numquam ita incensum fuisse amore, quam tunc, protenus in ipso monte Ida, nudo in solo, cum Junone volens concumbere, quidquid illa quasi prae pudore obluctatur, nube toti monti subito circumfusa, Junonem corripit *versu* 346.

—— αγκας εμαρπτε Κρονε παῖς ην παρακοιτιν.

Pulcherrimum item est, quod sequitur, Nova gramina, lotum, crocum, hyacinthos, sub Jove ac Junone concumbentibus subnatos, pro toro fuisse conjugali; nec Jovem, jam lassum ac somno sopitum, ulnisque Junonem complexum, rore ex circumfusa nube destillante excitatum fuisse

Τοισι δ᾽ ὑπο χθων Δια φυεν νεοθηλεα ποιην,
Λωτον θ᾽ ἑρσηεντα ιδε κροκον ηδ᾽ ὑακινθον
Πυκνον και μαλακον, ὁς απο χθονος ὑψοσ᾽ εεργε·
Τω ενι λεξαςθην, επι δε νεφελην ἑσσαντο
Καλην, χρυσειην, ςιλπναι δ᾽ απεπιπτον εερσαι·
Ως ὁ μεν ατρεμας εὑδε πατηρ ανα Γαργαρῳ ακρῳ,
Ὑπνῳ και φιλοτητι δαμεις, εχε δ᾽ αγκας ακοιτιν.

Ad Iliados Π

Versu 7. *ac deinceps*: Nihil sane magis tenerum finxeris, quam est similitudo, qua Achilles Patroclum, ob misere pereuntes Graecos flentem, com-

comparat cum infante puella ad matrem accurrente, in sinum tolli volente, vestem matris prensante, matremque discedentem retinente, ac lacrymosos in eam ocellos figente, donec se mater comprehendat

Τιπτε δεδακρυσαι, Πατροκλεις, ηϋτε κκρη
Νηπιη, ἡ θ' ἁμα μητρι θεισ' ἀνελεσθαι ανωγει,
Είανȣ ἁπτομενη και τ' εσσυμενην κατερυκει·
Δακρυοεσσα δε μιν ποτιδερκεται, οφρ' ανεληται·
Τῃ ἰκελος, Πατροκλε, τερεν κατα δακρυον ειβεις;

Ultima vox ειβεις [*fundis*, lacrymas scilicet] literis suis ejulantem imitatur pusiunculam, sive Patroclum, istiusmodi pusiunculae instar plorantem.

Possit tamen haec ipsa tam tenera comparatio dici nimis multis concepta esse verbis hoc quidem in loco; quum nemo fere, nisi insulse, amicum, justa de causa moestum flentemque, tam multis de una re ac similitudine verbis detinuerit. Verum immerito hic carpseris Homerum, qui hac ipsa longius tracta objurgatione belle potius, ut mihi quidem videtur, effingit morosum atque inexorabilem Achillis animum, moleste ferentis, tantopere doleri ob Graecorum interitum, quo ipse putandus sit vel gavisus fuisse, idque ob injuriam ereptae sibi per Agamemnona captivae Briseidis: Quare per hanc ipsam, quam modo proposui, tam longe protractam comparationem (quam credibile est Homerum voluisse pronunciari voce mimica, ejulantem infantulam ironικῶς imitante) vere irriserit mollitiem amici sui, ita commoti calamitate eorum, quibus ipse mala potius quam bona precaretur in animo suo, ut nunc ii, qui superessent, sentirent, quem virum contumelia affecissent, qui *Achillem* contumelia affecerant, eum scilicet virum, sine quo Troja capi non posset.

Versu

Versu 20. In fine hujus *versiculi* tres isti *spondaei* sunt admirabiles, ad lentum Patroclis suspirium exprimendum·

> Τονδε βαρυστεναχων προσεφης Πατροκλεις ἱππευ

sicuti tres praecedentes *Dactyli* celerem ad suspirandum Patroclis impetum non minus naturaliter exprimunt.

Versu 851. Quemadmodum moribundi Veteribus putabantur futurorum esse gnari, ita moribundus Patroclus Hectori praedicit exitium imminere ab Achille. Ita & Virgiliana Dido moritura quasi praecinit Aeneae posteris clades olim ab Annibale inferendas. Ut ad Homeri Patroclum revertar; is vero dicit Hectori

> Ου θην ουδ᾽ αυτος δηρον βεη, αλλα τοι ηδη
> Αγχι παρεστηκεν θανατος και μοιρα κραταιη,
> Χερσι δαμεντ᾽ Αχιληος αμυμονος Αιακιδαο

Sonorum istud Αιακιδαο effingit terribilem & praedictae mortis & Achillis, interfecturi Hectora, naturam. Tum versu 862.

> ——— δορυ χαλκεον εξ ωτειλης
> Ειρυσε λαξ επιβας ———

non minus naturaliter per duros *spondaeos* [εξ ωτειλης] perque istud *monosyllabum* λαξ violentia Hectoris, evulsantis hastam ex Patroclis corpore, ipsumque corpus contumeliose calcantis, patescit.

Ad Iliados P

Versu 51. Euphorbo, Panthoi filio, manu Menelai cadente, longe suavissime Poëta Euphorbi capillos capillis Charitum, seu Gratiarum, dicit similes. Tum pulcra est comparatio prostrati Euphorbi

phorbi cum florentiſſima olea, ventorum turbine eradicata ac proſtrata. Numerique pedesque ſunt hic mire nunc volubiles, nunc, pro re nata, tardi & quaſi praepediti

Αἵματι οἱ δευοντο κομαι Χαριτεσσιν ὁμοιαι,
Πλοχμοι θ' οἱ χρυσω τε και αργυρω εσφηκωντο.
Οἱον δε τρεφει ερνος ανηρ εριθηλες ελαιης
Χωρω εν οιοπολω, ὁ δ' ἁλις αναβεβρυχεν ὑδωρ,
Καλον, τηλεθαον, το δε τε πνοιαι δονεουσι
Παντοιων ανεμων, και τε βρυει ανθεϊ λευκω·
Ἐλθων δ' εξαπινης ανεμος συν λαιλαπι πολλη
Βοθρε τ' εξετρεψε και εξετανυσ' επι γαιη,
Τοιον Πανθε υἱον ευμμελιην Ευφορβον
Ατρειδης Μενελαος επει κτανε, τευχε' εσυλα.

Verſu 760. & hic artificioſis *numeris* projecta paſſim fugientium arma belle exprimuntur

Πολλα δε τευχεα καλα πεσον περι τ' αμφι τε ταφρον
Φευγοντων Δαναων ———

Ad Iliadis Σ

Quemadmodum in Odis Davidicis ſaepe is, qui quid ſerio ſecum reputet, dicitur *loqui cum animo ſuo*, vel *animum ſuum compellare*; ita & hic apud Homerum *verſu* 5. Achilles

Οχθησας δ' αρα ειπε προς ὁν μεγαλητορα θυμον,
Οἱμοι εγω ———

Verſu 22. *ac ſeqq*, qualis Jobus pulvere ac cinere ſe ipſe deformat, atque ita deformatus moerori ſe totum tradit; ita Achilles ad nuncium caeſi ab Hectore Patrocli, Achilli cariſſimi.

——— αχεος νεφελη εκαλυψε μελαινα·
Αμφοτερησι χερσιν ἑλων κονιν αιθαλοεσσαν
Χευατο κακκεφαλης, χαριεν δ' ησχυνε προσωπον·

Νεκ]αρεω δε χιτωνι μελαιν' αμφιζανε τεφρη·
Αυτος δ' εν κονιησι μεγας μεγαλωςι τανυσθεις
Κειτο, φιλησι δε χερσι κομην ησχυνε δαΐζων

In initio gravitatem Achilléi luctus horrenda locutione proponit Poëta, Achillem dicens *atra doloris nebula obvolutum:* Tum verba αμφοτερησι χερσιν per durum istum in medio *spondaeum* melius tarditatem in colligendo pulvere declarant, quam si dictum esset αμφοτερησι χερεσσιν. Sed & istud μεγας μεγαλωςι τανυσθεις est magnificum ac persona Achillis, tam verenda, dignum.

Versu 54. Thetis lamentans ob dolorem Achillis, filii sui, lamentantis ob caedem Patrocli, semet vocat δυσαριςοτοκειαν mira voce, sed quam ipsa deinceps explanat, *se infelici cum fato suo matrem esse viri longe omnium fortissimi ac validissimi.*

Versu 178. σέβας videtur eadem notione sumi, qua Latinis saepe sumitur *religio*, nempe pro animo hominis, non audentis facere vel non facere quid, prae metu, ne vel faciendo vel non faciendo graviter in pietatem vel in quodlibet aliud honesti bonique viri officium peccet

——— σεβας δε σε θυμον ικεσθω
Πατροκλον Τρωησι κυσιν μελπηθρα γενεσθαι

id quod verto *Religio tibi sit pati*, *Patroclum Trojanis canibus esse praedam*, id est, omnino tu id prohibeas oportet: Nam nisi prohibeas, officio, quod etiam mortuo amico debes, deeris, &c.

Versu 203. Ubi Achilli jam persuasum esset, Patrocli caedem sibi vindicandam esse, & quamquam non habenti arma sua (quippe quibus instructum Patroclum spoliasset Hector) vel sic tamen, dum arma, a Vulcano fabricata, ferret sibi mater Thetis, in Trojanorum conspectum sibi eundum esse, eosque conspectu suo territandos; mira

mira elegantia fingitur Pallas suam ipsius Achilli aptare aegida, ejusque capiti auream circumfundere nubem, ex qua undique lucidae spirentur flammae. Sed Graeci *pedes* ac *numeri* vim versionis meae longe exsuperant: Nempe ipsa Pallas *versu* 206. ex ista nube *succendit flammam quaquaversum lucentem*: Verum ecce inimitabilis verborum Homeri in *syllabis* celeritas, lumini subito in omnes partes diffuso prope par & aequalis

Ἐκ τοῦ νεφε͂ος δαῖε φλόγα παμφανόωσαν

Nubem hanc flammivomam pulcerrima illustrat subsequens comparatio fumi, ex oppugnata urbe insulari lucidas secum favillas noctu per aëra quaquaversum spargentis, ac proximis in vicino litore oppidis extremam urbis necessitatem significantis, si forte alicunde succurratur. Haec omnia aptissimis *numeris* exsequitur Poëta

Ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται
Τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται,
Οἵτε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ
Ἄστεος ἐκ σφετέρου· ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι· ὑψόσε δ' αὐγὴ
Γίνεται ἀΐσσουσα περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι,
Αἴκεν πως σὺν νηυσὶν Ἄρεος ἀλκτῆρες ἵκωνται·
Ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανε.

Versus 219. vehementer offensat aures, eoque ipso est pulcrior, quod sic tinnulum fractumque tubae sonum strepitat

Ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνή, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ

Tum horror rigorque audientium quasi sentitur ac cernitur in tribus hisce verbis, asperrimo *metro* mox adjectis,

Πᾶσιν ὀρίνθη θυμός ———

praesertim ex collatione praecedentis *versiculi*, qui & ipse grande quid sonat & intonat

Οἱ δ' ὡς οὖν ἄϊον ὄπα χάλκεον Αἰακίδαο

Versu 351. admodum naturaliter exprimitur lenta actio ungentium cadaver Patrocli

Εν δ' ωτειλας πλησαν αλειφατος εννεωροιο

Ad Iliados Τ

Credibile mihi est, *Iliada* ita continuum fuisse poëma, ut nullis *libris* sive numeris (Α Β Γ &c.) ab ipso Poëta fuerit divisum, sed a capite ad calcem uno tenore pertextum. Si enim vulgaris *librorum* divisio hic admittatur, quis, quaeso, legere incipiens *libri* Τ initium, aliter intellexerit, quin in *versu* tertio τὸ, ἦδ', referatur ad Auroram, a qua primus hujus libri *versus* inchoatur? Atqui istud τὸδ' pertinet ad Thetin, de qua in calce *libri* Σ fuerat actum. Si, inquam, *libros* hic statuas ab ipso auctore distinctos, simul fateberis, hic certe intolerabilem personarum ac rerum confusionem existere & ambiguitatem. Ab ipso poëmatis hujus initio ad finem usque ita contigua compactaque sunt sine ulla interruptione omnia, ut, omissis istis, quas nunc habemus, divisionibus, & stylus verborum & nexus rerum bellissime cohaereant: Contra, si vulgatas hasce sectiones secutus interrumpas lectionem, eamque postea cum insequente *libro* resumas, idemtidem quasi in mediam contextamque orationem incidere videaris, ac saepe ad *libri* prioris posteriora regredi cogaris, quo veram Poëtae mentem intelligas. Confer praecedentium *librorum* fines cum initiis sequentium, atque id, quod hic dico, videbis: Huc adde, quae infra notamus ad *Odyss.* I

Ita nec Suetonium scripta sua ipsummet in *capita*, quae vocantur, certe non in ea, quibus nunc scriptorem istum habemus distinctum, distinxisse opinor: Idem de plurium scriptorum Graecorum

corum Latinorumque in *libros* & *capita* distinctionibus, uti hodie distincta sunt, censeo, item de Sacris quoque voluminibus, uti hodie in *capita* & *versiculos* divulsa leguntur. Quod ad Homeri *Iliada* & *Odysséam* attinet, admodum tamen antiquas esse illarum in Α Β Γ &c. divisiones, credibile est, quamquam satis scio, Veterum quibusdam persuasum fuisse, Homerica Opera, prius per partes fuisse edita, dein omnes partes diu post Homerum fuisse in unum volumen compactas, additis atque interpositis divisionum notis Α Β Γ &c. singulasque istas partes dictas fuisse ῥαψωδίας non ab ῥάβδος *virga* (per quam aliqui intellexere scripta Homeri convoluta, atque ita virgae speciem habentia: Veteres enim scripsisse in una modo membranarum parte, quas deinceps conjunxerint, atque ita omnes conjunctas convolverint; unde & Opera sic scripta & convoluta Latini *volumina* dixerint) sed ab ῥάπτω *suo*, *consuo*: Quasi vero, sive ῥαψωδία ab ῥάβδος, sive ab ῥάπτω deducatur, non eadem consistere possit ratio; nempe ut ῥαψωδία notet poëma per se argumenti continui, sed non uno tempore effusum, verum cujus singula membra, alia post alia tenore continuo elaborata, tamdem vel ipsemet Poëta, vel alii post eum compegerint ac conjunxerint. Inania haec piget ultra persequi. Revertor ad *Iliadis* T. Ea, quae hic longis ultro citroque habitis orationibus inter Achillem, Ulyssem, & alios dicta memorantur, posteaquam Achilles jam decrevisset iram in Agamemnona deponere, ac vindicare mortem Patrocli; potissimum quae a *versu* 240. narrari incipiunt, uti quisque principum Graecorum munera ad honorandum Achillem contulerit: illa, inquam, omnia parum probabiliter narrantur facta fuisse, dum interim Trojani non cessarent Graecorum naves quibus partibus possent, oppugnare; dumque Hector esset in campo, ac passim multiplici

certaretur acie, nec vel una nox intercederet: Potissimum si cogites, convocatione ac deliberatione tot virorum principum, cujusque suam stationem, suos ordines, ac sua loca, suosque homines in ferventissima pugna obeuntium, opus fuisse, nec illos principes sine summae rei periculo potuisse avocari in consilium, ac proeliandi fervorem remittere, nedum intermittere.

Ad Il. Υ

Versus 42. mirus sane est, verum ad requisitam ibi tarditatem effingendam artificiosissimus

Τεως Αχαιοι μεν μεγ' εκυδαινον, ὁυνεκ' Αχιλλευς &c.

Numeros hic ita distinguo

Τεως Αχαι / ιοι / μεν μεγ' ε / κυδαινον / ὁυνεκ' Α / χιλλευς

Versu 48. Mirum, quo sensu Ερις, Discordiae Dea, dicatur λαοσσόος *populi servatrix*. Potiori jure Minerva cognominatur hoc cognomine Il. Ν 128. Possit quis putare, in hoc *Iliadis* Υ *versu* 48

Ωρτο δ' Ερις κρατερη, λαοσσοος· αυε δ' Αθηνη

τὸ, λαοσσόος, sublato *puncto* pertinuisse ad Αθήνην, sive Minervam: Sed iste stylus videatur sic minus fore bonus. Tum non minus mire Mars Il. Ρ 398. & ipse cognominatur λαοσσόος· Alius forte dixerit, per Εριν λαοσσόον intelligi duarum Eridum, *bonae* & *malae*, *bonam*, sicuti palam Hesiodus in initio Εργων duas, ita distinctas, dicit esse Eridas: Tum Martem quoque dici posse λαοσσόον, id est servatorem ejus populi, pro quo ille stet. Per me licet. Ego επέχω.

Versu 178. ac deinceps. An ulla ratione probabiliter narratur longus iste Achillis cum Aenéa sermo?

fermo? An credibile eſt, hoſtes ita in propinquo, in ipſa acie, ſine praevio pacto ad fortuitum congredi colloquium, idque tam longum? An tumultus in tali re ac tempore? an confuſio? an conſternatio, & haud dubie etiam fortiſſimi cujusque aliqua trepidatio tam ſedatam, ornatam meditatamque de genealogia diſſertationem, qualis ab Aenéa a *verſu* 215. ad 242. promitur, ulla veriſimilitudine patitur? Immo tale quid fingere, adeo ſtultum ineptumque eſt, ut ipſe Homerus *verſu* 244. ſtultitiam hanc agnoſcat, ut qui Aenéan faciat monentem, *ne ultra* ipſe & Achilles, *quaſi ſint ſtulti, in ipſo fervore pugnae bujusmodi ſermones ferant*

Αλλ᾽ αγε μηκετι ταυτα λεγωμεθα νηπυτιοι ὡς
Εςαοτ᾽ εν μεσση ὑσμινη δηϊοτητ@.

Adde, quod jam ſupra ad Il. Ε 283. obſervavi, aliam fuiſſe Graecorum, aliam Trojanorum linguam, nec vel hilum memorari de interprete, cujus ope iſtiusmodi homines utrimque alienigenae fuerint collocuti, & tamen alter alterum intellexerint. Idem fere dixerim de colloquiis Achillis & Hectoris in ipſa item pugna Il. Χ a *verſu* 250.

Verſu 215. Obſervare hic licet, illuſtrium hominum originem ad Deum aliquem, potiſſimum ad Jovem retuliſſe Veteres. Minos, Aeacus, & alii dicuntur Jovis filii, item *ab Jove tertius Ajax*; Regum Trojanorum ſtirpem recta ab Jove hic deducit Aenéas. Mars perhibetur pater Romuli: Vel illuſtrium virorum matres feruntur Deae; Aenéae Venus, Thetis Achillis, aliae aliorum.

Verſu 248. eleganter effingitur vana hominum, in primis feminarum, garrulitas, rixae, irae, etiam in propatulo exercitae.

Verſu

Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ' ἐστὶ βροτῶν, πολέες δ' ἔνι μῦθοι
Παντοῖοι· ἐπέων δὲ πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ ἔνθα·
Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.
Ἀλλὰ τί ἢ ἔριδας καὶ νείκεα νῶϊν ἀνάγκη
Νεικεῖν ἀλλήλοισιν ἐναντίον, ὥστε γυναῖκας,
Αἵτε χολωσάμεναι ἔριδος πέρι θυμοβόροιο
Νεικεῦσ' ἀλλήλῃσι μέσην ἐς ἀγυιὰν ἰοῦσαι
Πόλλ' ἐτεά τε καὶ οὐκί· χόλος δέ τε καὶ τὰ κελεύει

Vere ac graviter *versu* 253. litigiosa contentio dicitur θυμοβόρος *animum devorans*, contentiosos macerans, conficiens, enecans.

Versu 450. Mirum est, quî possit hic fingi scivisse Achilles, Hectora, jam a se vulneratum humique prostratum, sibi ab Apolline, objecta nube, fuisse ereptum, quum prioribus *versibus* videatur nihil tale scivisse. Conjecerit ita, dices, Achilles, ut qui sciret Apollinem stare pro Troja.

Ad Iliadis Φ

Versus 249. tardissimus de industria, ad cessantem pugnantium ardorem significandum

Μὴ πρὶν παύειν χεῖρας ὁμοιΐου πολέμοιο.

Ad Ψ

Versu 99. Quod Achilles fingitur in somnis voluisse nec potuisse prehendere umbram Patrocli

——— ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν,
Οὐδ' ἔλαβε· ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
Ὤιχετο τετριγυῖα ———

bis imitatus est Virgilius, ac meo judicio Homerum utroque in loco bona ex parte superavit. Libro

bro IV. *Georg.* memorans, uti Orpheus frustra voluerit ab inferis uxorem suam Eurydicen repetere, posteaquam ad illam, id quod facere fuerat vetitus, respexisset, ait Poëta *versu* 499.

Eurydice ex oculis subito ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa; neque illum
Prensantem nequicquam umbras, & multa volentem
Dicere, praeterea vidit ———

Istud *fugit* prima sua *syllaba* celerem obstinatae Eurydices discessum pulcre exprimit: Homerus hic nihil habet eximii. Tum τὸ, *prensare*, hic apud Virgilium longe est elegantissimum, nec facile Graeco sermone aequandum, praeter venustum quid in ipso *metro*, irritum frustraque repetitum prehendendi conatum feliciter per *spondaeos* exprimente: Sed & pulcrum illud *multa volentem* dicere prae Homero, nihil tale habente, enitet in Virgilio.

Alter locus est VI. *Aeneidos* a *versu* 697. ubi Aenéas, cum patris sui Anchisae umbra loquens apud inferos, ait

——— *da jungere dextram,*
Da genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.

Tum addit Poëta

Ter conatus(Aenéas) *ibi collo dare brachia circum;*
Ter frustra comprensa manus effugit imago
Par levibus ventis volucrique simillima somno

Et hic vividior mihi videtur actus Aenéae, potissimum in repetitione voculae *da*, Lectori quasi cernendum exhibente, quam ferventi animo & prono corpore Aenéas fingendus sit prosecutus fuisse refugam patris sui umbram. Habet tamen Homerus in memorato loco aliquid, quod Virgilius intactum reliquit. φίλαι nempe χεῖρες, quibus apud Homerum corripere Patrocli umbram frustra tentat Achilles, amabilem magisque animo

capiendum quam verbis exprimendum gestum significant in Achille, toto ad complectendam amici umbram protensis passisque manibus proruente, ita ut & digitorum vibratio Achilléi amoris aestum declararit. Sed, istud omne, dices, Virgilius satis comprehendit unico suo verbo *prensare*. Esto: at Homericum χερσι φιλησιν tenerum quid in suis *vocalibus* habet, quod in *prensat* non ita est conspicuum. Sed & Homeri τετριγυια non tetigit Maro: Nempe Patrocli anima dicitur Achilli visa fuisse recedere ad inferos τετριγυια, id est sive cum stridore alarum, sive aliquo oris sono, luctum significante, qui luctus nec in morte quidem cessaret. Verbum τρίζειν de umbris occisorum insuper ter habet Homerus (*Odyssea* Ω vs. 5, 7, 11.) item de gemitu sive crepitu tergorum costarumve in luctantibus, altero alterius costas valida vi pressantibus ac tractantibus Il. Υ 714. Proprie autem de teneris aviculis lugubre pipantibus, ab rapace volucri, quali accipitre, item dracone, correptis Il. Β 314. Ergo naturali hac in hoc casu elegantia lusuque prae Virgilio insignis hoc in loco est Homerus.

Versu 116. mira est dictionis elegantia in exprimendo itu, per praepeditos saltus difficili

Πολλα δ' αναντα, καταντα, παραντα τε, δοχμια τ' ηλθον

Ad Iliadis Ω

Iliadis ultima videntur mihi nimis languida pro omnium priorum hujus Operis membrorum spiritu ac vigore; nec arte, dignitate ac splendore cum praecedentibus posse comparari. Cur enim non adjicitur universorum lamentatio simul & magnifica Hectoris, quem ibi tumulant, praedicatio, qua

qua ita *Ilias* finiatur? Lege, Lector, & considera: Videbis ultimos triginta *versus* simplicem esse stylo simplici enarrationem, uti ligna ad Hectoris rogum fuerint congesta; uti Hectoris cremati ossa in urnam lecta, monumento superstructo fuerint condita: Denique uti cibum post haec omnia ceperint, perinde ac si hodie rustici cujusdam narrentur funeralia. Neutiquam igitur hic ultima nec primis nec mediis respondent. Primus *Iliadis* versus

Μηνιν αειδε, Θεα, Πηληϊαδεω Αχιληος·

tam paucis verbis, iisque sonoris, nec facile Latine imitandis, summam totius *Iliadis* complectens, magnifici profecto vestibuli instar habet: At postrema hujus Operis nihil habent illustre, nihil eminens; cum tamen deceat, non anticas modo, sed & posticas pulcri palatii partes habere quid, quod spectatori admirationem ultra excitet, ejusque exspectationi satisfaciat.

Longe diversa in exitu suo est Maroniana *Aeneis*: Haec, uti magnifice fuerat inchoata, haud minus magnifice ad ultimum usque finem est detexta. Lege, Lector, ac relege & confer: Nec forte ab judicio meo diffidebis.

Ad Odysseae A

Versu 12. Jupiter queritur, malorum causas immerito Diis tribui, quum ipsi homines nequitiis suis sibi dolores pariant

Ω ποποι οἱον δη νυ Θεους βροτοι αιτιοωνται!
Εξ ἡμεων γαρ φασι κακ' εμμεναι· οἱ δε και αυτοι
Σφῃσιν ατασθαλιῃσιν ὑπερ μορον αλγε' εχουσι.

Versu 47. Quod Minerva ait de Aegistho

Ως απολοιτο και αλλ☉, ὁ τις τοιαυτα γε ρεζοι!

O! *sic pereat, quisquis talia perpetret.* Eádem fere utebatur Joabus formula, cum ex pugna contra Absolomum ad Davidem reversus, rogatusque super Absolomo (qui jam perierat) pro responso precaretur, *haud aliter se haberent omnes Davidis hostes, quam Absolomus!*

Versu 266. πικρόγαμ☉ *ongelukkig getroud*, proprie *acerbo junctus conjugio.*

Ad Odyss. Γ

Versu 23. Telemacho sibi diffidente, ac verente, ne, cum esset parum eloquens, non posset loqui cum Nestore, Pallas ait *versu* 28.

Δαιμων σοι ὑποθησεται ———

Deus quis tibi verba suggeret.

Vides imitationem ejus, quod verus Deus plus semel memoratur promisisse iis, qui pro oratoribus ab Deo missi infantiam suam caussarentur.

Ad Δ

A *versu* 495. Proteus in Aegypto narrat Menelao, istuc per tempestatem post eversam Trojam delato, ea, quae Graecis, eadem tempestate aliis alio disjectis, accidissent, inprimis Agamemnoni, Ajaci, Ulyssi, caeterisque principibus: Adeo ut ista Protei oratio sit quasi continuatio *Iliadis.*

Ad

Ad E

Versu 245. artificiose exprimitur lenta ratio fabri, oculum ad amussim dirigentis, &c.

Ξεσσε δ' επισαμενως και επι σαθμην ιθυνε

Duri isti in verbis επι σαθμην ιθυνε *spondaei* quasi ob oculos ponunt lentam fabrorum lignariorum actionem, idemtidem se inclinantium ad perspectandum, num satis recte edolent.

Ad Z

Versu 57. παππα pro *patre.*

. . . 102. & seqq. Nausicaa comparatur cum Diana

Οιη δ' Αρτεμις εισι κατ' ουρεος ιοχεαιρα,
Η κατα Ταΰγετον περιμηκετον η Ερυμανθον,
Τερπομενη καπροισι και ωκειης ελαφοισι·
Τηδε θ' αμα Νυμφαι κουραι Διος Αιγιοχοιο
Αγρονομοι παιζουσι· γεγηθε δε τε φρενα Λητω·
Πασαων δ' ύπερ ήγε καρη εχει ηδε μετωπα,
Ρεια δ' αριγνωτη πελεται, καλαι δε τε πασαι·
Ὡς ἡγ' αμφιπολοισι μετεπρεπε παρθενος αδμης.

Haud minus pulcre, si non pulcrius, imitatus est Virgilius I. *Aeneidos* 504

Qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oréades: Illa pharetram
Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnes:
Latonae tacitam pertentant gaudia mentem:
Talis erat Dido: talem se laeta ferebat
Per medios ———

Sane pulcritudo major eſt in Virgilii *Exercet Diana choros :* item in *mille ſecutae hinc atque hinc glomerantur Oréades :* nec non in *gradiens :* Denique in *Latonae tacitam pertentant gaudia mentem*, quam in Homericis. Sed & longe concinnius aptiusque Virgilius iſtud de Latona ſubjecit poſt omnia, quae hic ad Dianam pertinent, quam Homerus id mediis de Diana verbis interſeruit, quo factum eſt, ut ſequentia apud Homerum [Πασαων δ' ὑπερ ἡγε καρη εχει &c.] ambiguum ſit, utrumne ad Dianam, an ad Latonam pertineant, & magis (idque contra Homeri mentem, quam probe intellexit Virgilius) ad Latonam ex verborum ductu ac tenore videri poſſint eſſe referenda.

Tum id, quod in *numeris* perpulcrum hic eſt apud Homerum de procéra Dianae prae comitibus ſuis ſtatura [Πασαων δ' ὑπερ ἡγε καρη εχει ἠδὲ μετωπα] exaequavit Virgilius dicendo

——— *gradiensque Deas ſupereminet omnes :*

Verum quod Virgilius Homericum iſtud ἠδὲ μετωπα, & ρεια δ' αριγνωτη πελεται omiſit, prudenter omiſit ea, quae apud Homerum, ſi rem ſpectes, ſunt languida : *Languida* nempe iſta ſunt, quia, ubi dixeris quempiam *eminere ſupra omnes*, inutiliter adjicias, id quod hic facit Homerus, *eum & occipite eminere, ac facile dignoſci poſſe.*

§ *Verſu* 130. & *ſeqq.* pulcre Homerus Ulyſſem (ubi ille in Phaeácum inſulam ejectus, nudus, ſolus, alto ſomno inter frutices oppreſſus, at clamore regiarum puellarum, cum Nauſicaa illic forte ludentium, excitatus, frondibus velato corpore, in conſpectum prodiret) comparat cum Leone

Βη δ' ιμεν ὡςε λεων ορεσιτροφος αλκι πεποιθως,
Ος' εισ' ὑομενος και αημενος· εν δε οἱ οσσε
Δαιεται· αυταρ ὁ βουσιν επερχεται η οἴεσσιν

He

Ηε μετ' αγροτερας ελαφυς· πελεται δε ἑ γαστηρ
Μηλων πειρησοντα και ες πυκινον δομον ελθειν

Vadebat instar Leonis, nec imbres nec procellas horrescentis, oculisque flammantibus praedam quaerentis &c. Istud ὑόμενος καὶ ἀήμενος est Latine, si non forte & in alia quavis lingua, inimitabile.

Versu 229. *& seqq.* Ulyssi post omnem naufragii squalorem detersum pulcris vestibus amicto, fingit Homerus majorem a Pallade magisque torosam ac teretem accommodatam fuisse staturam, eamque ipsi ad caput & humeros affusam fuisse Gratiam, quam artifex, a Vulcano & Pallade doctus, affundat argento intra aurum concluso. En ipsos Homeri versus

Τον μεν Αθηναιη θηκεν Διος εκγεγαυια
Μειζονα τ' εισιδεειν και πασσονα· καδδε καρητος
Ουλας ἧκε κομας ὑακινθινῳ ανθει ὁμοιας·
Ως δ' ὁτε τις χρυσον περιχευεται αργυρῳ ανηρ
Ιδρις, ὃν Ηφαιστος δεδαεν και Παλλας Αθηνη
Τεχνην παντοιην, χαριεντα δε εργα τελειει·
Ως αρα τῳ κατεχευε Χαριν κεφαλῃ τε και ωμοις.

Cum pulcritudine hac decertavit imitando Virgilius I. *Aeneidos* 592. & seqq.

Restitit Aenéas claraque in luce refulsit,
Os humerosque Deo similis: namque ipsa decoram
Caesariem nato genitrix lumenque juventae
Purpureum & laetos oculis afflarat honores,
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

Dicere audeo, Virgilianis hisce longe pulcrius quid inesse prae pulcritudine Homerica; ac nescio an supra quam quod Latinis literis usquam pictum scriptumve legitur: potissimum scilicet respicio illud

——— ——— *lumenque juventae*
Purpureum & laetos oculis afflarat honores

ac

ac mihi quidem censetur hoc tam pulcrum per se, ut fere indigner, quod adjecta est illa argenti Pariive lapidis auro praetextati similitudo, quae quamvis per se pulcra, non tamen assequitur inimitabilem pulcritudinem eorum, quibus quasi magis decorandis est apposita. Suam ipsius hic pulcritudinem videtur mihi non cepisse Virgilius, qua & Homerum & seipsum hic superat: Si enim cepisset, Homero istam *argenti auro circumdati* similitudinem reliquisset; ac sic Virgiliana pulcritudo meo judicio illustrius hic eminuisset. Etenim id, unde petatur similitudo, vulgo solet putaturve vel esse, vel habere aliquid in se plus, quam sit istud, cui illustrando adhibeatur. Jam vero quantumcumque decus vel solertissimus artifex ebori, marmori, argento possit addere, id longe minus est nitore hominis juvenis, omnibus in humano corpore pulcritudinis numeris absoluti: Nec ulla in re magis Natura vim suam, nulla arte aequandam, exserit & ostentat, quam in Juvene vere omni ex parte pulcro. Iterum dico, *Purpureum* illud *lumen juventae*, quod tam divino modo dixit Virgilius, mihi quidem videtur nec in ullo alio corpore, nisi in humano, eoque virili, bene sano, bene tornato ac juvene, comperiri, nec ulla arte effingi posse, solisque oculis cerni, solaque mente posse concipi. Tum quam decora est Virgilianae mentis imago, fingentis Venerem *afflasse* filio suo & *purpureum lumen juventae*, & *laetos oculis bonores*? nam & *laetos* hosce *oculis afflatos bonores* magis meliusque intelligis, quam verbis explices. Quanto divinae potestati convenientius est *afflatu*, quam *perfusione*, quid facere, tantum & hoc solo verbo Homerum hic exsuperat Virgilius. Jam quinquaginta annos hunc Virgilii locum prae omni, quod usquam legi, atque identidem magis quam ante admiror.

Ad

Ad Odyss. H

Versu 19. usque ad 78. habemus Minervam Ulyssi, ad Phaeácum urbem tendenti, sub humana figura obviam, multaque cum ipso colloquentem, ac nube ipsum tegentem: Hoc quoque in *Aeneida* suàm traduxit Virgilius lib. I. à *vs.* 317. ad 422. Sed & hic quoque auctorem suum ducemque longo intervallo censetur mihi praeverti. Si vacat lubetque, Lector, utrumque Poëtam & hic confer: Loca nimis longa sunt, quam quae hic ausim proponere & comparare.

Ad I

Hic *liber* ita cohaeret cum ultimis verbis rebusque *libri* prioris, ut non nisi stultissime sit inde divulsus. Vide nos supra ad Il. Σ

Versu 39. Ulysses incipit narrare, qua errarit redux a Troja, dum veniret ad Phaeácas; idque per *libros* K & Λ persequitur: Itaque in tribus hisce *libris* continetur series rerum, post Achillis mortem ad Trojam & in ipsa Troja gestarum.

Versu 176. νόος θεουδής, *een siel, dewelke God kend*, mens Deum intelligens veneransque.

Ad K

Versu 86. Quod Homerus, ubi dixisset, apud Laestrygonas majora pecora noctu, interdiu minora, vel contra (nam non liquet) ita pasci, ut pastores, qui interdiu paverint, excipiantur ab

 iis,

iis, qui pasturi sint noctu; ait, pastorem, qui possit carere somno, duplicem posse mercedem pro duplicibus operis, diurnis nocturnisque, quaerere, ac pro ratione addit

Εγγυς γαρ νυκτος τε και ηματος εισι κελευθοι.

de vero verborum horum intellectu quantopere ha sitatum sit hominibus eruditis, videre est in *Historia Acad. Reg. Inscriptionum* Tom. I. a pag. 161. Ingeniosis ibi indulgetur explicationibus, quarum nulla mihi quidem probatur, censenti, Homerum hic esse simplicem, simpliciterque ac naturaliter dicere, dies ac noctes nullo intervallo mutua successione subsequi; itaque pastorem illic terrarum cum cujusque diei ac noctis fine aliud identidem pecoris genus pascere aggressum, ob duplices hasce operas duplicem posse ferre mercedem.

Ad Odyss. N

Versu 94. & deinceps: Ubicumque terrarum Phaeaces fuerint, non possunt statui longe abfuisse ab Ithaca, quandoquidem Ulysses vesperi ex insula Phaeácum solutam navim postridie primo mane appulit ad Ithacam. Forte dicat quis, tamen admodum longe, immo multorum dierum noctiumque spatio Phaeácas distitisse ab Ithaca, quum navis, qua vectus tunc fuerit Ulysses, tam cito per mare navigarit, ut ne accipiter quidem eam volatu potuisset pone comitari: accipitrem vero una nocte multorum dierum noctiumque spatium continuo intensoque volatu posse conficere. Per me licet accipiatur haec similitudo hic pro non-*hyperbolica*.

Ad

Ad Odyff. P

Verfu 490. notabiliter dicuntur Dii fub imagine hofpitum luftrare civitates ad probos & improbos dignofcendos

Και τε θεοι ξεινοισιν εοικοτες αλλοδαποισι
Παντοιοι τελεθοντες επιστρωφωσι ποληας,
Ανθρωπων ὕβριν τε και ευνομιην εφορωντες

An Homerus hoc habet ex hiftoria Sacra *Angelorum*, qui pro hofpitibus venerunt ad Abrahamum, Sodomam everfuri, exemtis prius, quos ibi reperiffent, piis? Simile quid habet Ovidius de Jove, fub hofpitis figura ad Lycaona delato, ipfum cum impia domo veniente perditum.

Verfu 575. procorum impietas in domo Penelopes dicitur ad coelum usque afcendiffe

Των ὕβρις τε βιη τε σιδηρεον ουρανον ἱκει

Scilicet hic quoque Homerus Mofen, de Sodomitarum nequitiis agentem, imitatur.

Ad Σ

Verfu 72. mire luditur in voce *Irus* (qui reducem Ulyffem fibi ignotum, tamquam inops ac vile caput, contumeliofe tractat)

Η ταχα Ιρος αϊρος επισπαστον κακον ἑξει

Pari fere lufu compellat quis Parin Il. Γ 39

Δυσπαρι, ειδος αριστε, γυναιμανες, ηπεροπευτα

Quid vero ἄϊρος ac δύσπαρις fignificarint Homero? Forte *Irus aïrus* eft *Irus* conditionis fuae vilis ac fervilis oblitus, infolenter agens cum hofpite, quem fe fingebat redux Ulyffes; quum humanius debuiffet ipfum excipere: Tum *Dyfparis* forte dictus eft Paris,

Paris, quod Patriae suae, cujus lumen ac salutem, ubi necessitas flagitaret, deceret ipsum esse, qui Regis erat filius, esset exitio.

Ad Odyss. Τ

Versu 518. Penelope ait, se in lecto suo moerere, qualis Philomela fleat Ityn,

Ως δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν
Καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
Ητε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν,
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον ———

Hanc similitudinis elegantiam Virgilius IV. *Georg.* a *vs.* 511. aptat Orpheo, ob amissam in aeternum Eurydicen moerenti

Qualis populea moerens Philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: At illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & moestis late loca questibus implet.

Dum fere vulgarem hic de Philomela Homerus sequitur fabulam, Virgilius nihil fabulosi immiscens, naturalem avium amissis fetibus moerorem exprimit. Uter hic melius partes suas implet? Certe Virgilianum *qualis*, quo lamentabilis haec inchoatur similitudo, ipso sono suo lamentationi est accommodatior: Sed & Homericum ὀλοφυρομένη *syllabis* suis moerorem belle exprimit: Tum quod apud Homerum Philomela θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν *fundit multisonam vocem*; apud Virgilium vero *sedens ramo miserabile carmen integrat*, me judice Homerus superat Virgilium verbis θαμὰ τρωπῶσα, quantumvis elegans sit Virgilianum *integrat*. Vicissim Virgilii *miserabile carmen* & *moestis late loca questibus implet* pluris facio, quam Homeri πολυηχέα φωνήν.

Versu

Verſu 534. ſomnium, quod Penelope Ulyſſi, ſibi necdum cognito, narrat, ſimili fere narratur ſtylo, quo ſomnia in *Veteri Teſtamento;* nec diſſimili ſtylo additur explicatio

Αλλ' αγε μοι τον ονειρον ὑποκρίναι και ακουσον·
Χηνες μοι κατα οικον εεικοσι πυρον εδουσιν
Εξ ὑδατος, και τε σφιν ιαινομαι εισορόωσα·
Ελθων δ' εξ ορεος μεγας αιετος αγκυλοχειλης
Πασι κατ' αυχενος ηξε και εκτανεν· οἱ δ' εκεχυντο
Αθροοι εν μεγαροις· ὁ δ' ες αιθερα διαν αερθη.
Αυταρ εγω κλαιον και εκωκυον εν περ ονειρῳ.
Αμφι δε μ' ηγερεθοντο εϋπλοκαμιδες Αχαιαι
Οικτρ' ολοφυρομενην, ὁ μοι αιετος εκτανε χηνας·
Αψ δ' ελθων κατ' αρ' ἑζετ' επι προϋχοντι μελαθρῳ·
Φωνη δε βροτεη κατερητυε φωνησεν τε·
Θαρσει Ικαριοιο κορη τηλεκλειτοιο·
Ουκ οναρ, αλλ' ὑπαρ εσθλον, ὁ τοι τετελεσμενον εσται·
Χηνες μεν μνηστηρες, εγω δε τοι αιετος ορνις
Ηα παρος, νυν αυτε τεος ποσις ειληλουθα,
Ὁς πασιν μνηστηρσιν αεικεα ποτμον εφησω.

Nempe dum viginti annos Ulyſſes abeſt, nobiles in inſula Ithaca juvenes ambiunt Penelopen, atque inſolenter quotidianis apud eam epulis agunt: Tamdem redit Ulyſſes omnibus ſuis ipſique Penelopae ignotus: Illa vero ſermonem cum ignoto ſibi marito ferens, eumque pro viro ſago habens, narrat ipſi, ſe in ſomnis vidiſſe viginti anſeres in domo ſua omne frumentum conſumentes: Tum ſuperveniſſe aquilam, quae correptis omnibus iſtis anſeribus ac dilaniatis, juxta ſe conſederit, atque humana voce dixerit, anſeres iſtos *eſſe* Penelopes procos; ſe vero ſub figura avis *eſſe* Penelopes conjugem reducem, omnibus iſtis procis exitio futurum.

Ad Odyſſ. Υ

Verſu 14. vehemens eſt locutio, qua cor hominis, moram non patientis prae ſumma aegritudine ac vindictae cupidine, dicitur *latrare*

—— κραδιη δε οἱ ενδον ὑλακτει

Verſu 36. *ac ſeqq.* Ulyſſis cum Pallade colloquium haud diſſimile eſt colloquio Moſis cum Deo in ardenti dumeto: Tum notabiliter potentia fideſque divina in cuſtodia eorum, quos ſervare velit Deus, deſcribitur, ubi Ulyſſi deſperanti ſe unum omnes confecturum fore procos, animum firmans Pallas ait

Σχετλί, εγω θεος ειμι, διαμπερες ἥ σε φυλασσω
Εν παντεσσι πονοις ——

Iſtiusmodi colloquia Deorum cum hominibus per ſe quidem ſunt certo ſenſu ἀθεοπρεπῆ meraeque fictiones poëticae; ſed ad ipſorum hominum curas agitationesque in ipſa mente ſive ſana & provida, ſive turbata malique conſcia, referenda.

Verſu 303. Μειδῆσεν Σαρδάνιον videtur dici is, qui vanum adverſarii ſui impetum ridet, certo ipſum perditurus: Dubito tamen, an vulgo *riſus Sardonius* (de quo vide *paroemiographos*) ita intelligatur: apud Homerum vero ita intelligi videtur.

Ad Φ

Omnium ineptiſſime hic *liber* a priori eſt divulſus. Adde quae de utriusque Operis Homerici in *libros* ſive in Α Β Γ &c. diviſionibus ad Il. Σ notavimus.

Verſu

